



751295





57

Adalberti Brestyanzky  
O. O. S. Benedicti.

B

INSTITUTIONES  
DIALECTICÆ,

*sive*

BREVIS QUÆDAM AD RELIQUAM  
PHILOSOPHIAM

INTRODUCTIO

Methodo Scholastica elucubrata

PER R.P. ANTONIUM ERBER,  
E SOCIETATE JESU,

AA. LL. Philosophiæ, nec non SS.  
Theologiæ Doctorem, & in Alma, ac Cele-  
berrima Universitate Græcensi Cancellarium  
Emeritum.



TYRNAVIÆ,

---

TYPIS ACADEMICIS SOCIETATIS JESU,  
ANNO MDCCLII.



# AD LECTOREM.

**V**iri de sublimioribus Disciplinis sane  
 quam optime meriti, cujus universam  
 nuper Theologiam typis donatam summa  
 Discientium aviditas, nec minor subinde  
 etiam Doctorum comprobatio excepit, Institu-  
 tiones Dialecticas hic Tibi ob oculos, Lector  
 benevole! proponimus; opus videlicet Authoris  
 posthumum, eaque methodo pertractatum, qua  
 tum Græcii, tum Viennæ illud olim Discipulis  
 suis Magister praelegerat. Ne supremam Ipse  
 operi huic, quemadmodum & aliis manum ad-  
 moveret; & præmatura mors, quæ Virum vi-  
 ta longiori dignissimum Reipublicæ literariæ eri-  
 puit, & profunda animi demissio, quæ ne men-  
 tionem de rebus suis typo vulgandis unquam  
 sustinuit, vetuere. Quod si jam & causas,  
 quæ me ad hoc in tanta tum Antiquorum, tum  
 Recentiorum, qui hac in materia non infelici-  
 ter lucusque versati sunt, Authorum copia  
 permoverunt, nosse cupias; rem paucis accipe:  
 communis, qui primas ejusdem Theologiæ scho-  
 lasticæ partes, duobus abhinc annis in lucem pri-  
 mum editas, mox consecutus est, rumor, ac æsti-  
 matio non paucos promovendæ amplius tanti Vi-  
 ri famæ studiosos, mibique amicissimos excivit,  
 qui de edendo quoque illius cursu Philosophico  
 cogitarent, mibique ea in re Authores existe-  
 rent.

rent. Consilium hoc, ut primum mihi propo-  
situm, adeo non displicuit, ut in illud sine mora  
pronus, lubensque descenderem. Ante tamen,  
quam ad id exequendum me accingerem, æquum  
esse existimavi, has, quas præ manibus habes,  
Institutiones, quæ tibi ad reliquam Philosophiam  
melius intelligendam viam aperirent, planio-  
remque redderent, præmittere. Placuit in iis  
præterea admiranda illa, paucisque concessa,  
cui semper in rebus suis apprime studuerat,  
brevitati conjuncta perspicuitas. Injurius deni-  
que Viro Optimo fore videbar, si quid eorum  
ut ut exiguum, quæ ad illustrandam quoquo  
modo illius famam, conservandamque apud po-  
steros memoriam faciunt, Orbi erudito deesse  
paterer. Tu itaque, Lector benevole! leves  
hos conatus nostros, dum uberiora consequan-  
tur, boni consule, & in utilitatem tuam con-  
verte. Nevis Typographicis, si quos per in-  
curiam irrepsisse deprehenderis, veniam, quam  
de tua nobis benevolentia pollicemur, facilis  
concede, & vale.

# S E R I E S

Partium, & Articulorum.

## P A R S P R I M A.

*De prima Mentis Operatione.*

- A**RT. I. Quid fit Terminus?  
II. An Copula fit Terminus?  
III. De Divisione Termini in communi, & in particulari de Termino Significativo, & non Significativo.  
IV. De Termino Categorematico, Syncategorematico, & Mixto.  
V. De reliquis Terminorum Generibus.  
VI. Resolvuntur quædam quæsitæ de Termino Concreto.  
VII. De Proprietate Termini in communi.  
VIII. De Descensu, & Ascensu Dialectico.  
IX. De reliquis Terminorum Proprietatibus.

## P A R S S E C U N D A.

*De Secunda Mentis Operatione.*

- A**RT. I. De Nomine, Verbo, & Oratione.  
II. De Propositione in communi, ejusdemque Divisione.  
III. De Materia, Forma, Qualitate, Quantitate Propositionum simplicium.  
IV. De Veritate Propositionum simplicium.

- V. De Oppositione Propositionum simplicium.
- VI. De Æquipollentia Propositionum simplicium.
- VII. De Conversione Propositionū simplicium.
- VIII. De Propositionibus Modalibus.
- IX. De Propositionibus compositis.

## P A R S T E R T I A.

### *De Tertia Mentis Operatione.*

- A**RT. I. De Modis sciendi in communi, & in particulari de Definitione.
- II. De Divisione.
- III. De Argumentatione in genere, & variis illius speciebus.
- IV. De Argumentatione in genere notanda.
- V. De Principiis intrinsecis Syllogismi.
- VI. De Figuris, & Modis Syllogismorum.
- VII. De Principiis extrinsecis Syllogismi.
- VIII. De Regulis Syllogismorum.
- IX. De Regulis Figurarum in particulari.
- X. De Reductione Syllogismi per Ostrationem.
- XI. De Reductione Syllogismi per Impossible.
- XII. De Reductione Syllogismi per Expositionem.
- XIII. De variis Syllogismorum Generibus.
- XIV. De variis Syllogismorum Fallaciis.



# DIALECTICA.



Dialectica a græco nomine *Διάλεκτος* dicta eo; quod Dialectum Philosophicam, hoc est, loquendi, ac disputandi modum Philosophiæ

accommodatum doceat, definitur communiter ad mentem Aristotelis, & D. Thomæ facultas recte differendi. Dicitur etiam brevis introductio ad Logicam, compendium Logicæ, summulæ: quia est brevis quædam summa præceptorum Logicæ. Nam quemadmodum Logica fusius; sic Dialectica brevius docet recte differere, id est, rectas mentis operationes elicere.

Operatio mentis in genere est actio vitalis ab intellectu producta, & in eodem recepta, qua intellectus aliquid

cognoscit, sive sibimet ipsi velut in imagine quadam intentionali repræsentat. Et quia triplici modo res quælibet cognosci potest; ideo etiam tres sunt mentis operationes: 1<sup>ma</sup>, quæ simplex rei apprehensio: 2<sup>da</sup>, quæ iudicium: 3<sup>ta</sup>, quæ discursus appellatur.

Prima mentis operatio est, qua intellectus rem aliquam simpliciter apprehendit, nihil de ea affirmando, aut negando: ut si cogitem *Deum*, *peccatum* &c. nihil de iis affirmans, aut negans. Ubi nota, 1<sup>am</sup> mentis operationem esse apprehensionem simplicem ex parte modi cognoscendi, non vero semper, ac necessario ex parte objecti cogniti. Hinc integræ etiam propositiones, & syllogismi per 1<sup>am</sup> mentis operationem cognosci possunt: quia possunt ita apprehendi, ut nihil de iis affirmetur, aut negetur.

Secunda mentis operatio est, qua intellectus de re aliqua prius simpliciter apprehensa aliquid affirmat, vel negat, ut si dicam: *Deus est summum bonum*, *peccatum non est leve malum*. Dicitur etiam 2<sup>da</sup> mentis operatio iudicium: quia, dum intellectus de objecto aliquid affirmat, vel negat; de illo iudicat.

Ter-

Tertia mentis operatio est, qua intellectus ex re aliqua prius simpliciter apprehensa, & iudicata infert aliquid aliud, ut si ex hoc iudicio: *Deus est summum bonum*, inferam: *ergo est summe amandus*. Et quia discurrere nihil est aliud, quam ab uno ad aliud progredi; ideo 3<sup>tia</sup> mentis operatio discursus dicitur: dum enim intellectus unum ex alio infert; ab una veritate tanquam magis nota progreditur ad aliam tanquam minus notam.

Atque in his tribus mentis operationibus consistit modus cognoscendi humanus. 1<sup>mo</sup> enim intellectus rem simpliciter apprehendit. 2<sup>do</sup> de illa iudicat, hoc est, aliquid affirmat, vel negat. 3<sup>tio</sup> demum ex uno iudicio infert aliud; sicque a 1<sup>ma</sup> mentis operatione ad 2<sup>dam</sup>, a 2<sup>da</sup> ad 3<sup>tiam</sup> procedit.

Eodem igitur ordine ut & nos de singulis agamus, universam Dialecticam trifariam dividemus: in 1<sup>ma</sup> parte de 1<sup>ma</sup>, in 2<sup>da</sup> de 2<sup>da</sup>, in 3<sup>tia</sup> de 3<sup>tia</sup> mentis operatione acturi. Id quod cedat ad DEI triuni gloriæ, magnæ DEI Matris, & sine labe originali conceptæ Virginis, Divorumque Philosophiæ

phiæ Tutelarium S. Catharinæ, & S.  
Francisci Xaverii honorem.

# P A R S P R I M A.

## *De Prima Mentis Operatione.*

### A R T I C U L U S I.

#### *Quid sit Terminus?*

I



Ræmitto 1<sup>mo</sup>, quamlibet propositionem tribus partibus constare: nempe subiecto, prædicato, & copula. Subiectum est id, de quo aliquid affirmatur, vel negatur. Prædicatum dicitur illud, quod de altero affirmatur, vel negatur. Copula est illud verbum, quo mediante unum de altero affirmatur, vel negatur. Dicitur autem copula, sive nexus: quia subiectum, & prædicatum in unam propositionem conjungit. Sic in hac propositione: *Petrus est homo*, *Petrus* est subiectum, *homo* est prædicatum, *est* est copula.

Præ-

Præmitto 2<sup>do</sup>, prædicta tria, nempe subjectum, prædicatum, & copulam aliquando explicite, aliquando solum implicite in propositione poni. Explicite ponuntur, quando distinctis vocibus exprimuntur, ut in dicta propositione: *Petrus est homo*. Implicite vero ponuntur, quando in alia voce continentur. Sic in hac propositione: *Petrus currit*, & copula, & prædicatum continetur in hoc verbo adjectivo *currit*. Unde dialectice sic resolvitur: *Petrus est currens*. Quod si tota propositio unico verbo constat; omnia tria in unico hoc verbo includuntur. Sic hæ propositiones: *curro, tonat, oportet*, æquivalent his: *ego sum currens, cælum est tonans, obligatio est existens*.

Præmitto 3<sup>tio</sup>, non quæri hic, quid sit terminus late sumptus: nam sic sumptus idem sonat apud Dialecticos, quod dictio apud Grammaticos. Hinc dicimus: hæc propositio patet ex terminis, hoc est, ex ipsa dictionum, sive vocum notitia. Quæritur igitur, quid sit terminus dialecticus strictè sumptus, sive consideratus per ordinem ad propositionem, quam constituit? Ad quod

4 Dico cum Aristotele lib. 1<sup>mo</sup> priorum cap. 1. *Terminus est, in quem resolvitur propositio, ut prædicatum, & de quo prædicatur; aut apposito, aut diviso esse, aut non esse.* Sive ( prout Sylvester Maurus hæc Aristotelis verba interpretatur ) *terminus est, in quem resolvitur propositio tanquam in prædicatum, & subiectum affirmatum, vel negatum.* Ubi nota, totam definitionem termini contineri illis Aristotelis verbis: *in quem resolvitur propositio, ut prædicatum, & de quo prædicatur.* Reliqua verba nempe *aut apposito, aut diviso esse, aut non esse,* adduntur solum per modum explicationis: ut constet, propositiones alias esse affirmativas, apposita nimirum affirmatione per verbum *est*; alias negativas, apposita negatione per *non est.* Neque data definitio alia probatione eget, quam quod ea usus sit Philosophorum Princeps, quem sequimur.

5 Colliges 1<sup>mo</sup>, solum subiectum, & prædicatum esse terminum: quia solis illis convenit definitio termini. Unde quidquid potest agere subiectum, vel prædicatum propositionis, potest esse terminus; quidquid nec subiectum,  
nec

nec prædicatum propositionis agere potest, non potest esse terminus.

Colliges 2<sup>do</sup>, literas, & syllabas solitarie acceptas, voces item non significativas posse esse terminos: quia possunt agere subiectum propositionis; ut si dicam: *A est litera, Di est syllaba, Blictri est vox.*

Colliges 3<sup>io</sup>, etiam casus obliquos, adverbia, conjunctiones, & quasvis demum voces sumptas in suppositione materiali, sive præcise pro se ipsis, posse esse terminos: quia sic sumptæ possunt agere subiectum propositionis, uti fit in sequentibus: *Petri, est genitivus; constanter, est adverbium; cum, est conjunctio.* Idem est de integris propositionibus, & syllogismis.

Colliges 4<sup>to</sup>, casus obliquos, adverbia, conjunctiones, & similia, si accipiantur in suppositione formali, hoc est, pro eo, quod significant, non esse terminos; sed tantum affectiones & modificationes terminorum: quia sic accepta, non sunt subiectum, aut prædicatum; sed illud tantum diversimode afficiunt, & modificant, ut in hac propositione: *Deus semper est remunerator bonorum, ly semper, & bonorum.*

9 Colliges 5<sup>to</sup>, infinitivos verborum etiam in suppositione formali acceptos posse esse terminos: quia etiam sic accepti possunt agere subjectum, vel prædicatum propositionis; ut fit in hac propositione: *orare est mentem ad Deum elevare.*

10 Objicies 1<sup>mo</sup>: prædicta definitio termini non fit per prima prædicata: ergo non est bona. *Ant. prob. prius est componi propositionem, quam resolvi: ergo*

*Resp. N. ant. Ad prob. D. ant. prius est componi propositionem, quam resolvi, si ly resolvi idem significet, ac dividi, C. ant. si ly resolvi idem significet, ac intrinsece terminari, N. ant. & Conf. Ratio distinctionis est: quia in prædicta definitione termini ly resolvitur pro eodem accipitur, ac intrinsece terminatur ita, ut sensus definitionis sit: terminum esse id, quod intrinsece terminat propositionem tanquam prædicatum, vel subjectum. Et hanc fuisse mentem Aristotelis colligitur ex propriis ejusdem verbis; ait enim terminum esse: *in quem resolvitur propositio tanquam in prædicatum, vel subjectum; sed nisi aliquid actu constituat*  
propo-*

propositionem, eam intrinsece terminando, non habet rationem prædicati, vel subjecti: neque enim facta divisione propositionis, seu sublata copula manet amplius prædicatum, & subjectum: cum nihil amplius de altero prædicetur: ergo.

Objicies 2<sup>do</sup>: prædicta definitio non **II** constat genere proximo: ergo. *Ant.* prob. genus in prædicta definitione est *ly id*, quod quidem Aristoteles expresse non ponit; sed tamen subintelligere videtur. Hinc etiam passim terminum definiri audies: *quod sit id, in quod resolvitur propositio, tanquam in prædicatum, vel subjectum*; sed *ly id* non est genus proximum; quia latissime patet: ergo.

*Resp. N. ant.* ad prob. **N. maj.** Si enim desideres genus accommodatum ad regulas bonæ definitionis, dico subintelligi: *pars propositionis*, ac proinde exactior definitio termini est: *Pars propositionis, in quam illa resolvitur, tanquam in prædicatum, vel subjectum.* Ubi *ly pars propositionis* est genus proximum; nam per hoc terminus immediate convenit cum copula; reliqua verba sunt differentia ultima: quia per ea terminus

nus differt a copula contenta sub eodem genere proximo. Sed quidquid sit de bonitate definitionis in rigore dialectico, nobis sufficit definire terminum cum Aristotele, apteque ad intelligenda illa, quæ de termino dicuntur.

12 Pro reliquis solvendis nota 1<sup>mo</sup>, ejusmodi voces: *homo, lapis &c.* extra propositionem non esse terminos actuales, sed solum aptitudinales; sicut extra propositionem non sunt subjectum, aut prædicatum actuale, sed solum aptitudinale; in quantum nimirum possunt agere subjectum, aut prædicatum.

13 Nota 2<sup>do</sup>: Quando integra propositio agit munus subjecti, ut cum dico: *Petrus est homo, est propositio affirmativa*, tunc talis propositio est simul totum, & pars; sed sub diverso respectu: totum est respectu subjecti, prædicati, & copulæ, ex quibus ipsa componitur; & pars respectu propositionis, cujus ipsa est subjectum, in quo nulla est contradictio.

ARTICULUS II.

*An copula sit Terminus?*

PRæmitto 1<sup>mo</sup>, copulam, nempe ver- 14  
 bum substantivum est, dupliciter  
 sumi; 1<sup>mo</sup>: præcise in vi copulæ, quan-  
 do nimirum præcise connectit prædi-  
 catum cum subjecto, ut in hac propo-  
 sitione: *Petrus est homo*; 2<sup>do</sup>: in vi ver-  
 bi, quando præter rationem copulan-  
 di significat etiam ipsam rem, quæ præ-  
 dicatur, scilicet existentiam, ut in hac  
 propositione: *Petrus est*, quæ æquiva-  
 let huic: *Petrus est existens*. Quando  
 sumitur primo modo, sumitur pure sub-  
 stantive; quando 2<sup>do</sup>, adjective: quia  
 imitatur verba adjectiva, quæ semper  
 præter rationem copulandi significant  
 aliquod prædicatum, ut *currit, sedet, &c.*  
 significant: *est currens, est sedens, &c.*

Præmitto 2<sup>do</sup>, verbum *est*, quando 15  
 accipitur in vi verbi, duplex munus  
 in propositione exercere, copulæ, &  
 prædicati. Copulæ munus exercet,  
 quatenus connectit prædicatum cum  
 subjecto; prædicati vero, quatenus con-  
 significat ipsum prædicatum, quod est  
 existentia; sic in dicta propositione ly  
 est

*est*, quatenus connectit existentiam cum Petro, exercet munus copulæ; quatenus vero conſignificat ipſam existentiam, exercet munus prædicati. Idem a fortiori dicendum de verbis adjectivis.

16 Præmitto 3<sup>o</sup>, non quæri hic, an copula ſumpta materialiter, ſive pronuda voce poſſit eſſe terminus: hoc enim certum eſt de quavis voce, ut dixi numero ſeptimo, & de copula patet in hac propoſitione *eſt eſt copula*, in qua primum *eſt* materialiter ſumptum agit ſubjectum, proinde eſt terminus. Quæritur igitur ſolum, an copula formaliter ſumpta, ſive prout actu connectens prædicatum cum ſubjecto ſit terminus, ut in hac propoſitione: *Petrus eſt homo?* Qua in re

17 Dico: Copula non eſt terminus. Ita communior, Prob. ex definitione termini: *Terminus eſt, in quem reſolvitur propoſitio tanquam in prædicatum, vel ſubjectum*; ſed in copulam non reſolvitur propoſitio tanquam in prædicatum, vel ſubjectum: copula enim nec eſt prædicatum, nec ſubjectum; ſed unio inter prædicatum, & ſubjectum: ergo.

Confirmatur: termini propoſitionis ſunt extrema propoſitionis; ſed ſolum præ-

prædicatum, & subjectum sunt extrema propositionis; copula vero est solum unio inter hæc duo extrema: ergo.

Objicies 1<sup>mo</sup>: in hac propositione: 18  
*Petrus est, ly est est terminus; sed ly est est copula: ergo copula est terminus.*

Confirmatur: in hac propositione:  
*Petrus currit, ly currit est terminus; sed ly currit etiam est copula: ergo.*

Resp. D. *maj.* in hac propositione:  
*Petrus est, ly est est terminus, quatenus exercet munus prædicati, C. maj. quatenus exercet munus copulæ, N. maj. D. etiam min. sed ly est est copula; ita tamen, ut in hac propositione exerceat simul munus prædicati, C. min. ita ut non exerceat simul munus prædicati, N. min. & conf. Ratio distinctionis patet ex præm. 2<sup>do</sup>, quia in hac propositione: *Petrus est, ly est* sumitur in vi verbi, ac proinde exercet duplex munus, copulæ, & prædicati, ut sensus propositionis sit: *Petrus est existens.* Admitto igitur, quod *ly est* sumptum in vi verbi sit terminus, quatenus exercet munus prædicati, & consignificat ipsam existentiam; nego autem, quod sit terminus, quatenus exercet munus copulæ, & connectit ipsam existentiam cum subjecto.*

Ad

Ad confirmationem eadem proportionaliter est distinctio.

19 Objicies 2<sup>do</sup>: terminus est in quem resolvitur propositio; sed propositio resolvitur etiam in copulam: ergo. *Min. prob.* Quævis res resolvitur in ea, ex quibus componitur; sed propositio componitur etiam ex copula: ergo.

Confirmatur: terminus est, qui terminat propositionem; sed hanc propositionem; *Petrus doctus est*, terminat copula: ergo in hac propositione copula est terminus.

Resp. D. *maj.* Terminus est, in quem resolvitur propositio tanquam in prædicatum, vel subjectum, C. *maj.* Tanquam in aliam partem, N. *maj.* D. etiam *min.* Sed propositio resolvitur etiam in copulam tanquam in prædicatum, vel subjectum, N. *min.* Tanquam in unionem inter prædicatum, & subjectum, *trans. min.* & N. *conf.* Ad Prob. C. *maj.* in sensu accommodo, D. eodem modo *min.* & *conf.* Ratio distinctionis patet ex definitione termini. Dixi autem: *trans. min.* quia, si *ly resolvitur* idem significet, ac *dividitur*, prout in hac objectione significare videtur; simpliciter falsum est, quod propositio  
re-

resolvatur in copulam: repugnat enim in terminis, ut totum dividatur in unionem suarum partium; cum per ipsam divisionem formalissime destruetur. Unde sensus accommodus concessæ majoris est: quod quævis res resolvatur in ea, ex quibus componitur *ut quod*, sive tanquam ex extremis unitis; non autem, ex quibus componitur *ut quo*, sive tanquam ex unione extremorum.

Ad confirmationem D. similiter *maj.* terminus est, qui terminat propositionem tanquam prædicatum, vel subjectum, C. *maj.* tanquam alia pars, N. *maj.* D. item *min.* sed hanc propositionem: *Petrus doctus est*, terminat copula tanquam prædicatum, vel subjectum, N. *min.* tanquam unio inter prædicatum, & subjectum, *trans. min. & N. conf.* Dico iterum: transeat *min.* quia hoc ipso, quod *ly est* sit unio inter prædicatum *doctus*, & subjectum *Petrus*; dialectice debet poni in medio, & non in fine: cum omnis unio sit inter duo extrema, quæ unit. Unde hæc propositio: *Petrus doctus est*, æquivalet potius huic: *Petrus doctus est existens.*

20 Pro reliquis solvendis nota 1<sup>mo</sup>: quando tota propositio agit subiectum, ut in adducto superius exemplo: *Petrus est homo, est propositio affirmativa*; tunc omnes partes proximæ propositionis collectivè sumptæ, ac proinde etiam prima copula formaliter sumpta agit subiectum, estque terminus; sed non respectu illius propositionis, respectu cuius sumitur formaliter: sumitur enim formaliter respectu 1<sup>mæ</sup> propositionis, respectu cuius non est subiectum.

21 Nota 2<sup>do</sup>, in hac propositione: *est est copula*, solum secundum *est esse* copulam formaliter sumptam; unde secundum *est* non est terminus, nempe respectu hujus propositionis directæ: *est est copula*, respectu cuius sumitur formaliter; licet sit terminus respectu hujus propositionis reflexæ, qua dico: *secundum est est copula formaliter sumpta*; respectu cuius non sumitur formaliter, sed materialiter: agit enim subiectum.

## ARTICULUS III.

*De Divisione termini in communi,  
& in particulari; de termino  
significativo, & non signi-  
ficativo.*

**Q**Uæres 1<sup>mo</sup>: Quotuplex sit termi-<sup>22</sup>  
nus? Resp. Est triplex: menta-  
lis, vocalis, & scriptus. Mentalis est,  
qui mente concipitur. Vocalis, qui  
articulata voce profertur. Scriptus,  
qui calamo, aut alio quovis instrumen-  
to formatur. In primum resolvitur pro-  
positio mentalis, in 2<sup>dum</sup> vocalis, in  
3<sup>tium</sup> scripta tanquam in suum prædica-  
tum, vel subjectum.

Quæres 2<sup>do</sup>: Quæ sit ulterior divi-<sup>23</sup>  
sio termini?

Resp. Terminum vocalem subdivi-  
di in significativum, & non significa-  
tivum. Significativus est, qui significat  
aliquid ex libera hominum institutione,  
ut *Deus*, *homo*, &c. primus enim ter-  
minus institutus est ad significandum  
ens a se; secundus ad significandum ani-  
mal rationale. Non significativus est,  
qui nihil significat ex institutione homi-  
num,

ut *bliclri*, *synopsis*, &c. hujusmodi enim voces non sunt institutæ ad quidpiam significandum.

24 Quæres 3<sup>tio</sup>: Quotuplex sit terminus significativus?

Resp. Eum dividi 1<sup>mo</sup>: in categorematicum, syncategorematicum, & mixtum: ex quibus mixtus subdividitur in stricte talem, & minus stricte talem; 2<sup>do</sup>: in communem, singularem, universalem, & particularem: ex quibus communis subdividitur in univocum, æquivocum, & analogum. 3<sup>tio</sup>: in collectivum, & distributivum. 4<sup>to</sup>: in complexum, & incomplexum. 5<sup>to</sup>: in transcendentem, non transcendentem, & supertranscendentem. 6<sup>to</sup>: in finitum, & infinitum. 7<sup>mo</sup>: in positivum, negativum, & privativum. 8<sup>vo</sup>: in absolutum, & relativum. 9<sup>no</sup>: in 1<sup>mo</sup> intentionalem, & 2<sup>do</sup> intentionalem. 10<sup>mo</sup>: in concretum, & abstractum. 11<sup>mo</sup> demum: in pertinentes, & impertinentes; in quorum tamen terminorum numero, ordine, & explicatione authores non conveniunt. Nos de singulis duobus sequentibus articulis agemus.

Dices:

Dices 1<sup>mo</sup> contra n. 23. ostenden-25  
dendo, non dari terminum non signifi-  
cativum: Hæc vox *blictri*, cum profer-  
tur, significat proferentem esse vivum,  
loquentem, præsentem, &c. Ergo si-  
gnificat aliquid.

Resp. D. *ant.* Significat ex natura  
sua, proferentem esse vivum, C. *ant.*  
Significat ex institutione hominum, N.  
*ant.* & sub eadem distinctione *conseq.*  
Ratio distinctionis est: quia ad termi-  
num significativum requiritur, ut signi-  
ficet aliquid ex institutione hominum,  
quod voci *blictri* non convenit. Ob  
eandem rationem suspiria, & gemitus  
non sunt termini significativi: quia non  
significant amorem, & dolorem ex in-  
stitutione hominum, sed præcisè ex  
natura sua.

Dices 2<sup>do</sup>: *Blictri* nihil significat; 26  
sed nihil significare, est significare ali-  
quid: ergo. *min.* patet in voce *nihil*,  
quæ, quia nihil significat, significat  
aliquid.

Resp. 1<sup>mo</sup>: D. *maj.* *Blictri* nihil si-  
gnificat negative, C. *maj.* Positive, N.  
*maj.* D. etiam *min.* Sed nihil significa-  
re positive, est significare aliquid, C.  
*min.* Nihil significare negative, N. *min.*

& *conseq.* Ratio distinctionis est: quia nihil significare negative, est non esse institutum ad quidpiam significandum; & hoc convenit voci *blīctri*. E contra nihil significare positive, est esse institutum ad significandam carentiam entis; & hoc non convenit voci *blīctri*; convenit autem voci *nihil*. Unde disparitas inter *blīctri*, & *nihil* est, quod *blīctri* significet nihil negative; *nihil* vero positive.

Resp. 2<sup>do</sup>: C. *maj.* N. simpliciter *min.* Ad illius rationem N. iterum simpliciter, quod vox *nihil* nihil significet; aliud enim est *nihil significare*, id est, non significare quidpiam; aliud *significare nihil*, hoc est, significare carentiam entis. Secundum convenit voci *nihil*, non item primum; e contra primum convenit voci *blīctri*, non secundum.

37 Pro reliquis solvendis Nota 1<sup>mo</sup>, etiam in casu, quo quis eanem suam vocaret *blīctri*, vocem *blīctri* non fore terminum significativum: quia significaret solum aliquid ex institutione hominum privata; non vero communi, id est, eorum, qui institutiendi potestatem habent, ut sunt primi linguarum auctores, & qui easdem autoritate publica perficiunt. No-

Nota 2<sup>do</sup>: Etsi *blictri* sit terminus 28  
 non significativus; hæc tamen proposi-  
 tio: *blictri est vox*, est propositio signi-  
 ficativa: quia ad hoc, ut proposi-  
 tio dicatur significativa, sufficit unam  
 illius partem esse significativam; sicut  
 ad hoc, ut homo dicatur corporeus,  
 sufficit unam illius partem esse corpus.  
 Et ratio utriusque a priori est: quia ad  
 hoc, ut denominatio positiva conve-  
 niat toti, sufficit, si ea uni parti con-  
 veniat.

A R T I C U L U S I V.

*De Termino Categorematico,  
 Syncategorematico, &  
 Mixto.*

Q UÆRES 1<sup>mo</sup>: Quid sit terminus 29  
 Categorematicus?

Resp. Est ille, qui se solo aliquid  
 determinatum significat: ideoque soli-  
 tarie positus potest agere subjectum,  
 vel prædicatum. Tales termini sunt  
 nomina substantiva.

Q UÆRES 2<sup>do</sup>: Quid sit terminus 30  
 Syncategorematicus?

B 2

Resp.

Resp. Qui se solo non significat aliquid determinatum: ideoque etiam sine alio vel explicite, vel implicite addito non potest agere subiectum, aut prædicatum. Tales termini sunt nomina partitiva, ut *omnis*, *nullus*, *aliquis*, &c. quæ idcirco syncategoremata vocantur.

31 Quæres 3<sup>tio</sup>: Quid sit terminus Mixtus?

Resp. Qui ex utroque aliquid participat, estque, ut supra monui, alius stricte talis, qui categorema simul, & syncategorema continet, ut *nemo*, &c. quod significat *nullus homo*: *nullus* est syncategorema, *homo* categorema; alius minus stricte talis, qui simul aliquid determinatum, & indeterminatum significat, potestque etiam solitarie positus agere prædicatum. Tales termini sunt nomina adjectiva, quæ in obliquo significant formam determinatam, ut *album* albedinem; rectum tamen, siue subiectum significant indeterminatam; præterea possunt solitarie posita agere prædicatum, ut cum dico: *paries est albus*.

32 Dices 1<sup>mo</sup> contra n. 30. Terminus debet se solo posse agere subiectum, vel

vel prædicatum; sed terminus syncategorematicus est terminus: ergo.

Resp. D. *maj.* Terminus adæquatus debet se solo posse agere subjectum, vel prædicatum, C. *maj.* Terminus inadæquatus, N. *maj.* D. etiam *min.* Sed terminus syncategorematicus est terminus inadæquatus, C. *min.* Adæquatus, N. *min.* & *conseq.* Ratio distinctionis est: quia terminus syncategorematicus non nisi ut conjunctus cum categorematico termino est terminus adæquatus: ideoque etiam consignificativus dicitur.

Dices 2<sup>do</sup> contra n. 31. In hac 33 propositione: *paries est albus*, *ly albus* non ponitur solitarie: subintelligitur enim *paries*: ergo adjectiva solitarie posita non possunt agere prædicatum.

Resp. N. *ant.* Rationem additam distingo: subintelligitur *paries* grammaticaliter, C. dialectice N. Ratio distinctionis est: quia, si sub *ly albus* subintelligeretur *paries* dialectice, hoc est ita, ut ex parte prædicati implicite repeteretur; tunc multæ propositiones falsæ, essent veræ, ut hæc: *tantum paries est albus*: faceret enim hunc sensum: *tantum paries est paries albus*, quod est verissimum.

- 34 Pro reliquis solvendis nota: quando partitiva se solis agunt subjectum, vel prædicatum, ea non sumi partitive, sed substantive, ut cum dico: *aliquid currit*, ly *aliquid* sumitur substantive. Dicitur etiam potest, quod *aliquid* sit terminus mixtus strictè talis: nam in dicta propositione idem significat, ac *aliquod vivens*: adeoque continet categorema, & syncategorema.

## A R T I C U L U S V.

### *De reliquis terminorum generibus.*

- 35 **Q**Uæres 1<sup>mo</sup>: Quid sit terminus Communis, quid Singularis, quid Universalis, quid Particularis?

Resp. Communis est, qui rem pluribus communicabilem significat, seu deinde in illis multiplicetur, seu non. Unde etiam *Deus* est terminus communis: quia convenit tribus personis, licet in illis non multiplicetur.

Singularis est, qui significat rem uni tantum communicabilem, ut *Petrus*, *hic homo*, &c. Ubi nota, quod ly *Petrus* conveniat solum pluribus quoad nudam vocem, non autem quoad rem per hanc

voce[m] significatam: nam *Petrus* non significat quemcunque hominem, qui vocatur *Petrus*; sed hoc determinatum individuum humanum ab aliis distinctum, proinde aliis non communicabile.

Universalis est, qui rem pluribus communicabilem, atque in illis multiplicabilem significat, ut *homo*, *Angelus*, &c. Natura enim humana, & angelica ita convenit pluribus, ut in illis multiplicetur. Latius igitur patet terminus communis, quam universalis: nam omnis terminus universalis est communis; non e converso omnis communis est universalis, ut patet in termino *Deus*. Nota tamen hic, quod plerumque nomine termini universalis intelligatur terminus communis, affectus syncategoremate universali, ut *omnis homo*, *nullus Angelus*, &c. Terminus vero communis, positus absque omni syncategoremate, dicitur etiam indefinitus. Unde in hac propositione: *homo currit*, *ly homo* dicitur poni indefinite.

Particularis est, qui rem unam ex multis indeterminate significat, estque terminus communis, affectus syncategoremate particulari, ut *aliquis homo*, *quispiam Angelus*.

36 Quæres 2<sup>do</sup>: Quid sit terminus, Univocus, quid Æquivocus, quid Analogus?

Resp. Univocus est, cujus nomen est commune pluribus, & ratio per nomen significata omnino eadem, ut *homo*, &c. omnes enim homines in ratione per nomen *homo* significata omnino conveniunt: cum omnes sint animal rationale.

Æquivocus est, cujus nomen est commune pluribus; ratio vero per nomen significata est omnino diversa, ut *canis* respectu canis terrestris, marini, & cœlestis: hi enim in ratione per nomen *canis* significata omnino disconveniunt: nam canis terrestris est animal latrabile, marinus est piscis, canis speciem referens, canis cœlestis sunt gemina astra, canis major, & canis minor ab Astrologis dicta,

Analogus est, cujus nomen est commune pluribus; ratio vero per nomen significata est partim eadem, partim diversa, ut *sanum* respectu animalis, medicinæ, coloris, &c. hæc enim in ratione per nomen *sanum* significata eatenus conveniunt, quatenus omnia dicunt aliquem respectum ad sanitatem; eaté-

eatenus vero disconveniunt, quatenus animal est subjectum sanitatis, medicina causa sanitatis, color signum sanitatis.

Quæres 3<sup>to</sup>: Quid sit terminus Collectivus, quid Distributivus? 37

Resp. Collectivus est, qui plura indivisim, id est, simul sumpta significat, ut *exercitus* respectu militum, *cumulus* respectu lapidum, &c. vel qui pro pluribus indivisim, sive simul sumptis ponitur, ut dum dico: *omnis miles est exercitus*; *omnis miles* est terminus collectivus.

Distributivus, sive distributus est, qui plura divisim, sive seorsim sumpta significat, & pro singulis ponitur, ut si dicam: *omnis homo est animal*; *omnis homo* est terminus distributivus. Ubi nota, quod terminus distributivus involvat suppositionem distributivam, & collectivus secundo modo acceptus suppositionem copulativam; unde clarior eorundem explicatio fiet ex dicendis de suppositione distributiva, & copulativa.

Quæres 4<sup>to</sup>: Quid sit terminus Complexus, quid Incomplexus? 38

Resp. Complexus est, qui componitur ex duobus, vel pluribus termi-

nis diversis, retinentibus eandem significationem in compositione, quam habuerunt extra compositionem, ut *homo justus*, &c. Differt a nomine composito, quod hoc sit una vox, secus terminus complexus; quodque partes nominis compositi non retineant eandem significationem in compositione, sicut partes termini complexi.

Incomplexus est, qui vel non componitur ex pluribus terminis, ut *homo*, &c. vel non ex diversis, sed mere synonymis, ut *Marcus Tullius*, &c. vel ex non retinentibus eandem significationem in compositione, ut *Leopardus*, &c.

39 Quæres 5<sup>to</sup>: Quid sit terminus Transcendens, quid Non transcendens, quid Supertranscendens?

Resp. Transcendens est, qui de omni re existente, aut possibili prædicari potest, suntque sex sequentes: *res, ens, unum, bonum, aliquid, verum*, quorum initiales literæ hac voce REVBAV continentur. *Res* significat cujusque rei entitatem, *ens* aptitudinem ad existendum, *unum* identitatem rei secum ipsa, *aliquid*, sive *aliud* distinctionem ab omni alio, *bonum* volibilitatem, *verum* cognoscibilita-

litate[m] per species proprias; unde etiam peccatum est transcendentaliter bonum, & mendacium transcendentaliter verum.

Non transcendens est, qui non de omnibus, sed tantum de aliquibus rebus, prædicari potest, ut *animal*, *homo*, &c.

Supertranscendens est, qui non tantum de omnibus rebus existentibus, & possibilibus, sed etiam de negationibus, & impossibilibus prædicari potest, ut *cogitabile*, *cognoscibile per species alienas*, &c.

Quæres 6<sup>to</sup>: Quid sit terminus Finitus, quid Infinitus? Fi- 40

Resp. Finitus est, qui aliquid determinate significat, ut *lapis*, *lignum*, &c.

Infinitus est, qui quidem aliquid determinate excludit, nihil tamen determinate significat, ut *non lapis*, &c.

Qui terminus excludit determinate lapidem; significat autem indeterminate aliquid, quod non est lapis. Fit igitur terminus infinitus per particulam *non* infinitanter acceptam. Ubi tria

Nota: 1<sup>mo</sup>, particulam *non* dupliciter in propositione sumi posse, neganter, vel infinitanter; neganter sumitur, quando afficit copulam propositionis; ideoque

facit propositionem negativam, ut dum dico: *lignum non est lapis*; infinitanter vero accipitur, quando tantum afficit subiectum, vel prædicatum propositionis, ut si dicam: *lignum est non lapis*. Hujus sensus est: *lignum est aliquid, quod non est lapis*. 2<sup>do</sup>: si subiectum propositionis sit affectum aliquo syncategoremate, particulam *non*, ut accipiatur infinitanter, ponendam esse immediate post syncategorema, ut *omnis non peccator damnatur*. 3<sup>tio</sup>: particulam *non* præpositam termino negativo non facere terminum infinitum, sed potius finitum, sic: non carentia entis est terminus finitus: idem enim significat, ac ens.

41 Quæres 7<sup>mo</sup>: Quid sit terminus Positivus, quid Negativus, quid Privativus?

Resp. Positivus est, qui significat aliquam formam positivam, id est, realem, & a parte rei ponibilem, ut *coloratus, albus, &c.*

Negativus est, qui significat carentiam formæ in aliquo subiecto, præscindendo, an hoc subiectum sit capax talis formæ, ut *incoloratus, non videns, &c.* nam etiam Angelus potest dici incol-

coloratus, & lapis non videns; licet nec ille sit capax coloris, nec hic visionis.

Privativus est, qui significat carentiam formæ in subjecto capaci, ut *cæcus*, &c. Hinc lapis nequit dici cæcus: quia visionis capax non est.

Quæres 8<sup>vo</sup>: Quid sit terminus Absolutus, quid Relativus? 42

Resp. Absolutus est, qui significat aliquid sine omni respectu ad aliud, ut *homo*, *equus*, &c.

Relativus est, qui significat aliquid cum respectu ad aliud, ut *filius*, *servus*, &c: filius enim respicit Patrem, & servus Dominum.

Quæres 9<sup>no</sup>: Quid sit terminus Primo-intentionalis, quid Secundo-intentionalis? 43

Resp. Terminus Primo-intentionalis est, qui significat rem, prout existit a parte rei, ut *leo*, &c.

Terminus Secundo-intentionalis est, qui significat rem, prout substat alicui cognitioni, seu operationi intellectus, ut *subjectum*, *prædicatum*, *genus*, *species*, &c. Sic *leo* non est subjectum, nisi prout substat secundæ mentis operationi, aliunde quid illo affirmanti, vel neganti.

44 Quæres 10<sup>mo</sup>: Quid sit terminus Concretus, quid Abstractus?

Resp. Concretus est, qui significat formam in, & cum subiecto, ut *album* significat albedinem, quæ est forma in, & cum v. g. lacte, quod est subiectum: illud enim est subiectum, quod accipit; illud vero forma, quod dat denominationem.

Abstractus est, qui significat formam sine subiecto, ut *albedo*, &c. Quemadmodum autem triplex est forma: Physica, Metaphysica, & Logica; ita etiam triplex est concretum: Physicum, cujus forma realiter distinguitur a subiecto, ut *album*, &c. Metaphysicum, cujus forma est realiter idem cum subiecto, ut *homo*, &c. cujus forma metaphysica nempe *humanitas* est cum eodem realiter idem. Logicum, cujus forma est prorsus extrinseca subiecto, ut *cognitum*, &c.

45 Quæres 11<sup>mo</sup>: Quid sint termini Pertinentes, quid Impertinentes?

Resp. Pertinentes sunt, quorum unus alterum vel infert, vel excludit; inferentes vocantur *pertinentes sequela*; excludentes vero *pertinentes repugnantia*.

Pertinentes sequela sunt duplicis generis: aliqui enim se inferunt mutuo, ut *visibile, flebile, &c.* Sic bene infero: *est visibile, ergo est flebile; & vicissim: est flebile, ergo est visibile.* Alii vero se inferunt non mutuo, ita nimirum, ut bona sit illatio ab inferiori ad superiorem, non e converso; ut *animal, homo, &c.* Sic bona est illatio: *est homo, ergo est animal; non e converso: est animal, ergo est homo.*

Pertinentes repugnantia, sive repugnantes sunt quadruplicis generis: Contradictorii, quorum unus formam positivam, alter ejusdem negationem significat, ut *homo, non homo, &c.* Contrarii, quorum uterque significat formam positivam, quarum altera alteram ex eodem subiecto excludit, ut *calor ut oculo, frigus ut oculo, &c.* Privativi, quorum unus significat formam positivam, alter vero ejusdem carentiam in subiecto capaci, ut *visus, cæcitas, &c.* Relativi, qui dicunt certum ordinem ad invicem; ita tamen, ut ambo simul de eodem subiecto, & sub eodem respectu verificari non possint, ut *Pater, filius, &c.* Nequit enim idem respectu ejusdem esse simul Pater, & filius; atque

atque in his omnibus, quamvis liceat argumentari ab affirmatione unius ad negationem alterius; non tamen vicissim a negatione unius ad affirmationem alterius, nisi in solis contradictoriis.

Impertinentes sunt, qui se invicem nec inferunt, nec excludunt, ut *cæcus*, *claudus*, &c. ex eo enim, quod quis sit cæcus, neque inferri potest, quod sit claudus, neque quod non sit claudus.

## ARTICULUS VI.

*Resolvuntur quædam quæsitæ de termino concreto.*

46 **Q**Uæres 1<sup>mo</sup>: Quotuplex sit concretum physicum?

Resp. Est duplex: accidentale, & substantiale. Accidentale est, cujus forma est accidens; substantiale, cujus forma est substantia. Circa utrumque duo sunt observanda: id pro quo supponit, & id quod significat. Supponit tantum pro illa parte, quam importat in recto; significat autem utramque, nempe subjectum, & formam; hanc tamen principalius, quam illud:  
quia

quia per formam unum concretum dif-  
fert ab altero; hinc subiectum dicitur  
significatum materiale, forma vero si-  
gnificatum formale.

Quæres 2<sup>do</sup>: Quid concretum acci- 47  
dentale importet in recto?

Resp. Solum subiectum, formam  
vero in obliquo: sic *album* importat in  
recto v. g. *lac*; ipsam vero albedinem  
in obliquo. Unde ly *album* sic resol-  
vitur: *subiectum habens albedinem*.

Quæres 3<sup>to</sup>: Quid requiratur ad 48  
affirmabilitatem unius concreti acciden-  
talis de altero?

Resp. Requiri duntaxat identitatem  
inter subiectum unius, & subiectum  
alterius concreti. Ratio est: quia iden-  
titas affirmatur solum inter rectum sub-  
iecti, & rectum prædicati. Unde li-  
cet albedo non sit dulcedo; quia tamen  
idem lac est album, & dulce, vera est  
de lacte hæc præpositio: *album est dulce*:  
sic enim resolvitur: *subiectum habens al-  
bedinem est habens dulcedinem*.

Quæres 4<sup>to</sup>: Quid requiratur ad 49  
multiplicationem concreti accidentalis?

Resp. Requiri duntaxat multiplica-  
tionem subiecti. Ratio est: quia ad  
multiplicationem concreti requiritur so-  
la

la multiplicatio recti. Hinc si uniea etiam albedo in tribus parietibus poneretur, essent tria alba: quia essent tria subjecta habentia albedinem; e contra si tres albedines ponerentur tantum in uno pariete; esset tantum unum ter album: quia esset tantum unum subjectum habens tres albedines.

50 Quæres 5<sup>to</sup>: Quid concretum substantiale importet in recto.

Resp. Subjectum, & formam: sic *homo* importat in recto corpus, & animam. Unde *ly homo* non resolvitur hoc modo: *corpus habens animam, sed corpus, & anima unita.* Ratio autem disparitatis inter concretum accidentale, & substantiale est: quod concretum accidentale importet formam accidentalem, adeoque ut existentem in alio: cum accidens sit *ens in alio*; e contra concretum substantiale importat formam substantialem, adeoque ut existentem per se: cum substantia sit *ens per se.*

51 Quæres 6<sup>to</sup>: Quid requiratur ad affirmabilitatem unius concreti substantialis de altero?

Resp. Requiri identitatem subjecti, & formæ, hoc est, non tantum inter sub-

subjectum unius, & subjectum alterius  
concreti; sed etiam inter formam unius,  
& formam alterius concreti. Ratio erui-  
tur ex dictis: quia utraque pars impor-  
tatur in recto; unde, quia forma leo-  
nis non est forma equi, licet eidem  
corpori uniretur forma leonis, & equi;  
tamen falsa esset hæc propositio: *leo*  
*est equus*; quia non facit hunc sensum:  
*corpus habens animam leonis, est habens ani-*  
*mam equi*; sed hunc: *corpus, & anima*  
*leonis est corpus, & anima equi*, quod  
est falsum.

Quæres 7<sup>mo</sup>: Quid requiratur ad 52  
multiplicationem concreti substantialis?

Resp. Requiri multiplicationem sub-  
jecti, & formæ. Ratio est eadem. 9.  
Atque hinc nonnulli Theologi docent,  
quod, si tres Personæ Divinæ assume-  
rent eandem naturam humanam; non  
essent tres homines, sed unus homo;  
sicut, quia habent eandem naturam di-  
vinam; sunt unus DEUS: licet enim  
in tali casu essent tria subjecta, nem-  
pe tres personæ; esset tamen unica  
forma, nempe unica humanitas. Si-  
militer docent, quod, si una persona  
divina assumeret tres naturas humanas,  
esset unicus homo: quia licet in tali  
casu

casu essent tres formæ, nempe tres humanitates; esset tamen unicum subiectum, nempe unica persona.

53 Quæres 8<sup>vo</sup>: Quid præterea circa concreta notandum?

Resp. Ea dupliciter sumi posse: reduplicative, & specificative. Reduplicative sumuntur, quando affecta sunt particulis reduplicantibus, ut, *prout, qua, quatenus, &c.* specificative vero, quando ejusmodi particulis non sunt affecta. Ubi nota, quod concreta accidentalialia reduplicative sumpta etiam ipsam formam importent in recto. Unde hæc propositio: *album ut album disgregat visum*, facit hunc sensum: *ipsa etiam albedo disgregat visum*. Similiter concreta accidentalialia quidditative sumpta & subiectum, & formam important in recto: quia tunc more concretorum substantialium sumuntur pro singulis partibus; secus denominative sumpta: quia tunc more suo sumuntur pro solo subiecto, quod denominatur.

*spec. sive, seu materialis, aut denominative sumit, quæritur. dum p[er] se  
ei quæritur pure ratione subiecti, reduplicative aut, dum in ratione formæ  
concretive deorsum, dum ratione utriusque  
partis illi quæritur, ita ut utraque pars  
in recto importet, ut album est  
positum accidentale. sensus enim  
ipse: murus v.g. & eius albedo simul est  
compositum accidentale.*

ARTICULUS VII.

*De Proprietate termini in communi,  
& in particulari de suppo-  
sitione.*

**Q**UÆRES 1<sup>mo</sup>: Quid sit proprietas 54  
termini, & quotuplex?

Resp. Proprietas termini est acceptio termini. Cujusmodi septem communiter ab authoribus numerantur: nimirum suppositio, status, ampliatio, restrictio, diminutio, alienatio, & appellatio; ex quibus maxime præcipua est suppositio.

QUÆRES 2<sup>do</sup>: Quid sit suppositio, 55  
& quotuplex?

Resp. Suppositio est acceptio termini vel pro se, vel pro suo significato. Hinc generalissima divisione dividitur in materialem, & formalem. Materialis est acceptio termini pro se, five pro nuda voce, ut si dicam: *homo est vox, vel nomen.* Formalis est acceptio termini pro suo significato, ut cum dico: *homo est animal rationale.*

QUÆRES 3<sup>tio</sup>: Quotuplex sit suppo- 56  
sitione formalis?

Ref-

Resp. Est duplex: simplex, & personalis. Simplex est acceptio termini pro re, prout substantive alicui cognitioni, ut cum dico: *animal est genus*; ly *animal* accipitur pro animali, prout substantive cognitioni abstrahenti animal a suis differentiis: nam per ejusmodi cognitionem animal fit genus. Personalis est acceptio termini pro re, prout existit a parte rei, ut cum dico: *animal est vivens*; ly *animal* accipitur pro animali, prout existit a parte rei: cum independenter ab omni operatione intellectus sit vivens. Ubi nota, non posse prædicari de inferioribus, quod prædicatur de termino superiore sumpto in suppositione simplici; posse autem, quod prædicatur de illo sumpto in suppositione personali. Sic non valet: *animal est genus, ergo homo est genus*; valet autem: *animal est vivens, ergo homo est vivens.*

§7 Quæres 4<sup>to</sup>: Quæ sit ulterior divisio suppositionis?

Resp. Suppositionem personalem dividi ulterius in singularem, & communem. Singularis est acceptio termini singularis pro significato singulari, ut si dicam: *Petrus currit.* Communis

manis est acceptio termini communis pro significato communi, ut si dicam: *homo est animal*. Porro suppositio communis rursus subdividitur in distributivam, copulativam, determinatam, & indeterminatam; quæ suppositionis divisio cum præcipua sit, de singulis seorsim quaeretur.

Quæres 5<sup>to</sup>: Quid sit suppositio 38  
distributiva?

Resp. Est acceptio termini communis affecti syncategoremate universalis pro singulis inferioribus seorsim sumptis; ita, ut prædicatum, quod de termino communi dicitur, etiam de singulis seorsim dici possit; sic in hac propositione: *omnis homo est animal*, ly *omnis homo* supponit distributive: quia de quolibet homine seorsim sumpto verum est dicere, quod sit animal. Est autem suppositio distributiva alia completa, alia incompleta, alia accommodata. Completa est positio termini communis pro singulis generum, hoc est, pro singulis individuis sub tali genere contentis, ut *omne animal sentit*. Incompleta est positio termini communis pro generibus singulorum, hoc est, pro singulis speciebus sub tali genere  
con-

contentis; non autem pro singulis individuis, ut *omne animal fuit in arca Noe*. Cujus propositionis sensus est, quod singulæ animaliam species fuerint in arca Noe, non autem singula individua; alias etiam tu, & ego fuissetemus in arca Noe. Accomoda demum est positio termini communis pro omnibus inferioribus; ita tamen, ut unum, vel alterum ex omnibus excipiatur, ut *cælum omnia regit*, subintellige: *præter se ipsum*.

59 Quæres 6<sup>to</sup>: Quid sit suppositio copulativa?

Resp. Est acceptio termini communis affecti syncategoremate universalis pro omnibus inferioribus simul sumptis; ita, ut prædicatum, quod de termino communi dicitur, non de singulis seorsim, sed tantum de tota collectione dici possit, ut cum dico: *omnes Apostoli sunt duodecim*, ly *omnes Apostoli* supponit copulative: neque enim de singulis Apostolis seorsim dici potest, quod sint duodecim; sed tantum de omnibus simul. Idem est de hac propositione, n. 37. adducta: *omnis miles est exercitus*.

60 Quæres 7<sup>mo</sup>: Quid sit suppositio determinata?

Resp.

Resp. Est acceptio termini communis affecti syncategoremate particulari pro aliquo ex inferioribus determinate, hoc est; ita, ut prædicatum de uno determinato reipsa verificetur: sic in hac propositione: *aliquis Apostolus Christum negavit*, ly *aliquis Apostolus* supponit determinate; quia prædicatum *Christum negavit*, verificatur determinate de Petro; hæc suppositio dicitur etiam disjunctiva.

Quæres 8<sup>vo</sup>: Quid sit suppositio <sup>61</sup> indeterminata?

Resp. Est acceptio termini communis affecti syncategoremate particulari pro aliquo ex inferioribus indeterminate, hoc est; ita, ut prædicatum de nullo determinate verificetur: hinc etiam suppositio confusa, & vaga dicitur, ut si dicam: *aliquis oculus est necessarius ad videndum*, ly *aliquis oculus* supponit indeterminate, & vage; quia nec de dextro, nec de sinistro oculo determinate verum est, quod sit necessarius ad videndum.

Quæres 9<sup>no</sup>: An idem sit significare, & supponere? <sup>62</sup>

Resp. Negative. Ratio est; quia terminus semper significat omne id,

ad quod significandum est institutus; supponit autem tantum pro eo, pro quo hic, & nunc a cognoscente accipitur: sic *ly canis* semper significat canem terrestrem, marinum, & coelestem; in hac tamen propositione: *canis latrat*, supponit tantum pro cane terrestri. Latius igitur patet significare, quam supponere; semper enim terminus significat omne id, pro quo supponit: non tamen semper pro omni eo supponit, quod significat.

63 Quæres 10<sup>mo</sup>: Unde dignosci possit suppositio terminorum?

Resp. Præcipue ex prædicato, & ex subjecto syncategorematicis, sive signis universalibus, aut particularibus, quæ terminis adduntur.

64 Quæres 11<sup>mo</sup>: Quæ sint regulæ ad dignoscendam suppositionem ex prædicato?

Resp. Sequentes: prima, Si prædicatum conveniat subjecto præcise secundum se accepto, seu deinde illi conveniat ex natura rei, seu ex institutione hominum; subjectum supponit materialiter, ut *homo est vox*, vel *nomen*, vox est ex natura sua: nomen ex institutione hominum.

2<sup>da</sup>: Si prædicatum sit terminus secundo intentionalis, subjectum supponit simpliciter, ut *animal est genus*.

3<sup>tia</sup>: Si prædicatum conveniat singulis, subjectum universale supponit distributive, ut *omnis miles est homo*; si conveniat tantum omnibus simul, supponit copulative, ut *omnis miles est exercitus*.

4<sup>ta</sup>: Si subjecto indefinito prædicatum conveniat necessario, subjectum supponit distributive, ut *homo est animal*, quæ æquivalet huic: *omnis homo est animal*. Si vero eidem conveniat contingenter, tunc, si prædicatum significet aliquem actum, subjectum supponit determinate; cum actus debeat procedere a determinato individuo, ut *Apostolus Christum negavit*, quæ æquivalet huic: *aliquis Apostolus Christum negavit*. Si vero prædicatum significet necessitatem potentiæ ad actum, tunc subjectum supponit indeterminate, & vage; cum potentia determinate sumpta non sit necessaria ad agendum, ut *oculus est necessarius ad videndum*, quæ æquivalet huic: *aliquis oculus est necessarius ad videndum*.

65 Quæres .12<sup>mo</sup>: Quæ sint regulæ ad dignoscendam suppositionem ex syncategorematibus?

Resp. Sequentes: 1<sup>ma</sup>: si terminus communis afficiatur syncategoremate universalis affirmativo, terminus communis huic signo proximus supponit distributive; remotus determinate, ut *omnis homo est animal*, ubi *homo* supponit distributive, *animal* determinate.

2<sup>da</sup>: Si terminus communis afficiatur syncategoremate universalis negativo, uterque terminus tam proximus, quam remotus supponit distributive, ut *nulla planta est animal*. Ubi *planta*, quam *animal* supponit distributive.

3<sup>tia</sup>: Si propositio sit particularis negativa, solum prædicatum supponit distributive, ut *aliquod animal non est homo*. Ubi *homo* supponit distributive.

4<sup>ta</sup>: Ly *aliqui* facit terminum, cui additur, saltem pro uno binario supponere. Unde, ut vera sit hæc propositio: *aliqui homines currunt*, saltem duo currere debent; ly *nulli* vero significat negationem singulorum binariorum. Unde licet unus homo curreret, adhuc verum foret, quod nulli homines currant,

Quær.

Quær. 13<sup>tio</sup>: Quid sit propositio de subiecto non supponente? 66

Resp. Est propositio, cujus prædicatum supponit aliquid convenire subiecto, quod illi re ipsa non convenit. Fit hoc imo: cum de subiecto non existente affirmatur prædicatum supponens rei existentiam, ut *Antichristus est niger*. 2do: cum de subiecto impossibili affirmatur prædicatum supponens rei possibilitatem, ut *Hircocervus existit*. 3tio: cum subiectum propositionis implicite involvit contradictoria, ut *Hircus rationalis discurrit*. 4to: cum subiectum est complexum ex duobus, quorum unum supponitur convenire alteri, cum tamen eidem non conveniat, ut *pius Nero est mortuus*. In his igitur, & similibus propositionibus negandum est suppositum: ut in prima, quod Antichristus existat: in 2da, quod hircocervus sit possibilis: in 3tia, quod hircus sit rationalis: in 4ta, quod Nero fuerit pius.

## ARTICULUS VIII.

*De Descensu, & Ascensu Dialectico.*

67 **Q**Uæres 1<sup>mo</sup>: Quid sit Descensus, & Ascensus dialecticus, & quotuplex?

Resp. Descensus est argumentatio a termino superiore ad inferiora sub illo contenta. Ascensus e contra est argumentatio ab inferioribus ad terminum superiorem. Uterque est quadruplex: nempe copulativus, copulatus, disjunctivus, & disjunctus. Ex quibus 1<sup>mus</sup> respondet suppositioni distributivæ, 2<sup>dus</sup> copulativæ, 3<sup>tius</sup> determinatæ; 4<sup>tus</sup> indeterminatæ.

68 **Q**Uæres 2<sup>do</sup>: Quid sit descensus, & ascensus copulativus?

Resp. Descensus copulativus est argumentatio a termino superiore distributive supponente ad omnia inferiora seorsim sumpta per particulam *&* in propositionibus affirmativis; per particulam *nec* in negativis, ita, ut prædicatum post singula inferiora repetatur, & particulæ illæ jungant integras propositiones, ut *omne vitium est*

est fugiendum: ergo & ira est fugienda, & invidia est fugienda &c. Ascensus copulativus est inversus descensus, nempe argumentatio ab inferioribus dicto modo enumeratis ad terminum superiorem, ut in eodem exemplo: & ira est fugienda, & invidia est fugienda, & sic de reliquis: ergo omne vitium est fugiendum. Ubi nota, quod particulae illae: & sic de reliquis ideo addantur, ut inferiora sufficienter enumerentur.

Quæres 3<sup>to</sup>: Quid sit descensus, & ascensus copulatus? 69

Resp. Descensus copulatus est argumentatio a termino superiore copulative supponente ad omnia inferiora simul sumpta, in propositionibus iterum affirmativis per particulam & ; in negativis vero per particulam nec ; ita ut prædicatum non nisi post omnia inferiora repetatur, & particulae istae omnia inferiora in una propositione conjungant, ut omnes Apostoli sunt duodecim: ergo & Petrus, & Andreas, & Jacobus, & reliqui sunt duodecim. Ascensus copulatus fit inverso modo, ut prius.

Quæres 4<sup>to</sup>: Quid sit descensus, & ascensus disjunctivus? 70

C 4

Resp.

Resp. Descensus disjunctivus est argumentatio a termino superiore determinate supponente ad omnia inferiora disjunctive sumpta per particulam *vel*; ita, ut prædicatum post singula inferiora repetatur, & particula *vel* disjungat integras propositiones, ut *aliquis Apostolus Christum prodidit: ergo vel Petrus Christum prodidit, vel Andreas Christum prodidit*, donec tandem perveniam ad Judam, de quo istud verificatur. Ascensus disjunctivus fit rursus inverso modo.

71 Quæres 5<sup>to</sup>: Quid sit descensus, & ascensus disjunctus?

Resp. Descensus disjunctus est argumentatio a termino superiore vage supponente ad omnia inferiora disjunctim sumpta per particulam *vel*; ita, ut prædicatum non nisi post omnia inferiora repetatur, & particula *vel* omnia inferiora in una propositione disjungat, ut *aliquis oculus est necessarius ad videndam: ergo vel dexter, vel sinister est necessarius ad videndum*. Ascensus disjunctus fit de novo inverso modo.

72 Pro reliquis huc spectantibus nota imo: non valere descensum copulativum,

vum, quando prædicatum convenit toti, ut toti; sic male arguo: *domus est alta 40. cubitis: ergo & porta est alta 40. cubitis, & fenestræ sunt alta 40. cubitis &c.*

Nota 2<sup>do</sup>: Nec valere ascensum — 73 copulativum, quando prædicatum convenit partibus, aut inferioribus ut divisim sumptis: sic male arguo: *Petrus est unus homo, Paulus est unus homo, & sic de reliquis: ergo omnes homines sunt unus homo.* Hæ duæ regulæ tenent præcipue in prædicatis quantitatem, vel numerum significantibus, ut colligere est ex adductis duobus exemplis: in quorum primo quantitas; in secundo numerus significatur.

## A R T I C U L U S IX.

### *De reliquis terminorum Proprietatibus.*

QUæres 1<sup>mo</sup>: Quid sit status?

Resp. Est acceptio termini pro 74 tempore importato per copulam. Unde quemadmodum triplex est tempus: præsens, præteritum, futurum; ita etiam triplex est status: præsens,

præteritus, futurus. Ut igitur vera sit hæc propositio: *Paries est albus.* Paries debet de præsentis existere, illique de præsentis inesse albedo; cum in hac propositione tempus præsens per copulam importetur. Idem proportionaliter est de tempore præterito, & futuro.

75 Quæres 2<sup>do</sup>: Quid sit Ampliatio?

Resp. Est acceptio termini pro alio tempore, ac per copulam importetur. Unde statui e diametro opponitur, fitque quatuor modis. 1<sup>mo</sup>: ampliatur terminus ad tempus præteritum, ut in his propositionibus Christi: *cæci vident; claudi ambulant.* Quorum sensus est: *qui fuerunt cæci, vident; qui fuerunt claudi, ambulant.* 2<sup>do</sup>: extenditur terminus ad tempus præsens, & futurum ut *Logicus disputabit*, hoc est, *qui vel est, vel erit Logicus, disputabit.* 3<sup>tio</sup>: ad tempus præteritum, præsens, & futurum, ut *nati morientur*, id est, *qui vel nati fuerunt, vel nascuntur, vel nascentur, morientur.* 4<sup>to</sup>: ad præteritum, præsens, futurum, & possibile, ut in propositionibus necessariis: sic hæc propositio: *omnis homo est animal.*  
habet

habet hunc sensum : *omnis homo , qui fuit , est , erit , & possibilis est , est animal.*

Quæres 3<sup>tio</sup> : Quid sit Restrictio ? 76

Resp. Est termini de se plura significantis , ad pauciora significanda contractio : fitque præcipue 4tuor modis : 1mo : per additionem adjectivi ; ut *color albus disgregat visum.* ubi ly *color* de se quemvis colorem significans restringitur ad significandum solum colorem album. 2do : per relativum qui , quæ , quod , ut *omnis homo , qui in gratia Dei moritur , salvatur.* 3tio : per additionem casus obliqui , ut *omnis actio Christi est infiniti valoris.* 4to : per additionem termini inferioris ad superiorem , ut *Apostolus Petrus Christum negavit.*

Quæres 4<sup>to</sup> : Quid sit Diminutio ? 77

Resp. Est termini potentis de se totum denominare , ad denominandam partem contractio , ut *Æthiops est albus secundum dentes.* ubi ly *albus* , cum possit de se significare , totum Æthiopem esse album , per particulas *secundum dentes* contrahitur ad significandum unam solummodo Æthiopis partem esse albam. Differt a restrictione , quod restrictio faciat , ne terminus significet

universaliter; diminutio vero, ne tribuat denominationem toti.

78 Quæres 5<sup>to</sup>: Quid sit Alienatio?

Resp. Est termini a significatione propria ad alienam translatio, ut cum dico: *homo pictus*, ly *homo* a significando animali rationali transfertur ad significandam picturam, sive imaginem hominis.

79 Quæres 6<sup>to</sup>: Quid sit Appellatio?

Resp. Est applicatio significati formalis alicujus termini ad unum potius, quam ad alterum terminum, ut in hac propositione: *Petrus est bonus Philosophus*. Significatum formale hujus termini *bonus*, applicatur potius ad prædicatum *Philosophus*, quam ad subjectum *Petrus*. Unde in hac propositione ly *bonus* appellat supra ly *Philosophus*, sensusque est: quod Petrus sit bonus in Philosophia; regulariter itaque supra illum terminum fit appellatio, cui terminus appellans propior est; ita, ut, si terminus appellans ponatur post copulam, appellet supra prædicatum; si ante copulam, appellet supra subjectum. Unde si dicam: *Petrus bonus est Philosophus*; regulariter ly *bonus* non amplius appellat supra ly  
Phi-

*Philosophus* ; sed supra ly *Petrus*, sensusque est: quod *Petrus*, qui est bonus, aliqua alia bonitate v.g. morali, sit *Philosophus*. Dixi autem: *regulariter* ; quia ex mente loquentis oppositum fieri potest.

## PARS SECUNDA.

*De Secunda Mentis Operatione.*

### A R T I C U L U S I.

*De Nomine, Verbo, & Oratione.*



Uæres 1<sup>mo</sup>: Quid sit Nomen?

Resp. Est vox significativa ex instituto sine tempore, cujus nulla pars significat separata, finita, & reëta, quæ cum verbo veram, vel falsam efficit orationem. Ita Aristoteles 1<sup>mo</sup> Perihermenias c. 2<sup>do</sup>. Dicitur 1<sup>mo</sup>: vox significativa ex instituto, ut excludantur voces significativæ ex natura, quales sunt voces ferarum, gemitus, & suspiria; item termini non significativi. Dicitur 2<sup>do</sup>:

*sine tempore*, per quod differt a verbo; quod significat cum tempore. Dicitur 3tio: *cujus nulla pars significat separata*, per quod differt ab oratione; est autem harum particularum sensus: quod nulla pars nominis significet separata ab aliis partibus idem, quod significat conjuncta cum aliis, ut sic etiam comprehendantur nomina composita, qualia sunt: *respublica, jusjurandum &c.* Dicitur 4to:  *finita*, ut excludantur termini infiniti, quos Aristoteles non simpliciter nomina; sed nomina infinita vocat, ita, ut *ly infinita* sit additum alienans, sive distrahens: *cujus ratio est*; quia nomina infinita, ut *non homo, non leo &c.* non tam significant, quid res sit, quam quid non sit. Dicitur 5to: *& recta*, per quod excluduntur casus obliqui, qui proprie non sunt nomina; sed casus nominum. Dicitur demum 6to: *qua cum verbo veram, vel falsam efficit orationem*, per quod datur ratio, cur excludantur obliqui; quia nimirum cum verbo neque veram, neque falsam efficiunt orationem. Sic hæc oratio: *Petri est. Petro est. &c.* nec est vera, nec falsa; e contra hæc: *Petrus est, vel est vera, vel falsa.*

Pro reliquis huc spectantibus nota 81  
 primo. Hæc tria multum inter se differ-  
 re: significare tempus, connotare tem-  
 pus, significare cum tempore. Signifi-  
 care tempus dicitur illa vox, quæ ad  
 significandum tempus est instituta, ut  
*tempus, annus, mensis* &c. Connotare  
 tempus illa, quæ significat aliquam  
 actionem certo tempore fieri solitam;  
 præsciindendo tamen a triplici diffe-  
 rentia temporis præsentis, præteriti,  
 & futuri, ut *prandium, cæna* &c. Si-  
 gnificare demum cum tempore dicitur  
 vox illa, quæ significat aliquid  
 fieri, vel dici de altero pro certa  
 differentia temporis; præsentis scili-  
 cet, præteriti, vel futuri. Fieri ali-  
 quid significant verba *adjectiva*, ut  
*scribo, scripsi, scribam* &c. Dici ali-  
 quid de altero significat verbum sub-  
 stantivum *sum, fui, ero* &c. Unde  
 colliges posse quidem nomina signifi-  
 care tempus, & connotare tempus;  
 non tamen significare cum tempore.

Nota 2<sup>do</sup>: Neque hæc nomina: 82  
*præsens, præteritum, futurum*, significa-  
 re cum tempore; licet enim signifi-  
 cent certam differentiam temporis;  
 non tamen significant aliquid fieri,  
 vel

vel dici de altero pro tali differentia temporis.

83 Quæres 2<sup>do</sup>: Quid sit verbum?

Resp. Est vox significativa ex instituto cum tempore, cujus nulla pars significat separata, finita, & recta, & semper est eorum, quæ de altero prædicantur, nota. Ita rursus Philosophus citato libro c. 3. Dicitur imo: Vox significativa ex instituto, cujus nulla pars significat separata, per quod convenit cum nomine, & eadem proportionaliter excluduntur, quæ in definitione nominis. Dicitur 2<sup>do</sup>: cum tempore, per quod differt a nomine. Dicitur 3<sup>tio</sup>: finita, per quod excluduntur verba infinita, ut non studet, non disputat, quæ non denotant, quid de altero prædicetur; sed quid non prædicetur. Dicitur 4<sup>to</sup>: & recta, per quod indicatur solum tempus præsens esse proprie verbum; præteritum vero, & futurum, ut loquitur Maurus, esse tantum casus verborum. Rationem dat; quia tempus præsens intelligitur sine ordine ad præteritum, & futurum: e contra præteritum, & futurum non possunt intelligi, nisi in ordine ad tempus præsens. Unde tempus præsens se habet instar recti;

recti ; præteritum vero, & futurum  
instar obliquorum. Dicitur 5to : &  
*Semper est eorum, quæ de altero prædicantur*,  
nota : quo indicatur, quod verbum  
secundum se semper significet, quod  
aliquid sit in subiecto, vel de subiecto  
dicatur, ut cum dicitur : *Petrus ambulat*.  
significatur, quod ambulatio sit in Petro,  
tanquam accidens in subiecto ; dum vero  
dicitur : *Petrus est homo*, significatur,  
quod homo dicatur de Petro. Dixi autem  
*secundum se* ; quia si verbo addatur  
particula *non* neganter accepta, significat,  
quod aliquid non sit in subiecto, vel de  
subiecto non dicatur, ut *Petrus non ambulat*.  
*Petrus non est leo*.

Pro reliquis huc spectantibus nota 84  
primo : Verbum *est* in propositionibus  
necessariis significare cum omni tempore,  
etiam possibili ; quia significat necessariam  
connexionem inter subiectum, & prædicatum,  
quæ connexio semper est. Quando igitur  
dicitur, quod verbum *est* in propositionibus  
necessariis abstrahat ab omni tempore,  
sensus solummodo est : quod ejusmodi  
propositiones sint æternæ veritatis ;  
qua.

quatenus scilicet omnem temporis differentiam comprehendunt.

85 Nota 2<sup>do</sup>: Falsum esse nulla dari verba infinita, quæ per *ly finita* in definitione verbi excludantur; licet enim transmittatur, quod verba non possint infinitari formaliter; certum tamen est, quod possint infinitari æquivalenter: quod fit tunc, quando resolvi debent in copulam, & nomen infinitum; ut in hoc syllogismo: *omnis non studens est piger; sed Petrus non studet; ergo est piger: ly non studet* est verbum infinitum; quia minor sic resolvitur: *sed Petrus est non studens*. Unde particula *non* præposito verbo non semper accipitur neganter; sed aliquando etiam infinitanter, tunc nimirum, quando non afficit copulam; sed prædicatum in tali verbo inclusum.

86 Quæres 3<sup>tio</sup>: Quid sit oratio?

Resp. Est vox significativa ex instituto, cujus partium aliqua separata significat, ut dictio, non ut affirmatio, vel negatio. Ita denuo Aristoteles citato lib. c. 4<sup>to</sup>. art. 1<sup>mo</sup>. Dicitur 1<sup>mo</sup>: vox significativa in numero singulari, tum ut per hoc indicetur orationis partes debere semper aliquo grammaticali nexu

nexu inter se uniri, & quasi unum fieri: tum ut significetur unicam etiam vocem, sed pluribus æquivalentem posse esse orationem, ut *scribo* &c. Dicitur 2do. *cujus partium aliqua separata significat*; idem nimirum, quod significat conjuncta cum aliis partibus; per quod oratio differt a nomine, & verbo. Dicitur 3tio: *ut dictio, non ut affirmatio, vel negatio*, quarum particularum sensus est: quod ad orationem sufficiat, si partium aliqua separata significet per modum dictionis, & non requiratur, ut significet per modum affirmationis, vel negationis, quam etiam sic significare possit: unde *ly non* est solum exclusivum necessitatis affirmandi, vel negandi; non autem affirmationis, vel negationis: alias hæc, & similes propositiones compositæ: *momentaneum est, quod delectat, & æternum est, quod cruciat*, non essent orationes; cum etiam partes separatæ significant, ut affirmatio.

Pro reliquis huc spectantibus nota 87 primo orationem aliam esse perfectam, aliam imperfectam: illa facit sensum perfectum: ut *Petrus est doctus*; hæc imperfectum, & subdividitur in eam, quæ

quæ est sine verbo, ut sunt omnes termini complexi; & eam, quæ est cum verbo, ut *si Petrus est doctus*. Similiter oratio perfecta alia est enunciativa, quæ vel affirmat, vel negat; alia non enunciativa, quæ neque affirmat, neque negat; fitque tribus modis; interrogando, ut *esne Philosophus?* imperando, ut *stude sapientiæ*; optando, ut *utinam omnes salvemur!*

- 88 Nota 2<sup>do</sup>: Nec nomen, nec verbum, nec omnem orationem esse secundam operationem, ut ex hæcenus dictis colligere est; solet tamen de illis hoc loco tractari, tum ad clariorem 2dæ mentis operationis, sive propositionis explicationem; cum omnis propositio sit oratio; orationis vero partes sint nomen, & verbum: tum ad videndam differentiam inter orationem, & propositionem, quarum hæc ita differt ab illa, sicut species a genere: unde omnis propositio est oratio; sed non vicissim omnis oratio est propositio.

## ARTICULUS II.

*De Propositione in communi, ejusdemque divisione.*

Quæres 1<sup>mo</sup>: Quid sit Propositio? 89

Resp. Cum Aristotele l. 1. prior. c. 1<sup>mo</sup>: *est oratio affirmativa, vel negativa alicujus de aliquo, ly oratio est genus, per quod propositio convenit cum aliis orationis speciebus; nimirum cum oratione imperfecta, & perfecta non enunciativa: per reliqua in definitione posita differt ab iisdem.*

Quæres 2<sup>do</sup>: Quotuplex sit propositio? 90

Resp. Eam dividi 1<sup>mo</sup>: In simplicem, & compositam: quarum ista subdividitur in copulativam, disjunctivam, causalem, & conditionalem. 2<sup>do</sup>: in absolutam, & modalem. 3<sup>tio</sup>: in exponibilem, & exponentem: quarum illa subdividitur in exceptivam, exclusivam, & reduplicativam. 4<sup>to</sup>: in propositionem de secundo, & in propositionem de tertio adjacente. 5<sup>to</sup>: in identicam, & non identicam. Plures adhuc alii divisiones faciunt; sed minus necessarias.

Quæ-

91 Quæres 3<sup>tio</sup>: Quid sit propositio simplex, quid composita?

Resp. Simplex, quæ etiam categorica dicitur, est, quæ constat unica copula principali, ut *Deus est omnipotens*. Dixi *unica Principali*; quia non obest, si præter Principalem habeat aliam minus Principalem, ut *Deus, qui est ens a se, est omnipotens*. Composita est, quæ constat duabus, vel pluribus propositionibus simplicibus, certo modo inter se connexis; nempe vel per particulas copulativas &, *nec*, diciturque copulativa, ut *Petrus studet, & Paulus dormit*; vel per particulas disjunctivas *vel*, *aut*, diciturque disjunctiva, ut *aut Christus errat, aut mundus fallitur*; vel per particulas causales; *quia*, *quoniam* &c. diciturque causalis, ut *quia homines Deum non timent, peccata non vitant*; vel per particulas conditionales, *si*, *quando* &c. diciturque conditionalis, sive hypothetica; quia sub certa conditione, sive hypothesei aliquid de aliquo enunciat, ut *si egeris penitentiam, salvaberis*.

92 Quæres 4<sup>to</sup>: Quid sit propositio absoluta, quid modalis?

Resp.

Resp. Absoluta est, quæ præcise significat prædicatum inesse subjecto; hinc enim dicitur propositio *de inesse*, ut *Deus est æternus*. Dicitur etiam illa propositio absoluta, quæ aliquid sine conditione enunciat, opponiturque conditionali.

Modalis est, quæ non tantum significat prædicatum inesse subjecto; sed etiam explicat modum, quo inest. Sunt autem ejusmodi modi 4tuor: necessarius, quando prædicatum a subjecto abesse non potest: impossibilis, quando eidem inesse non potest: possibilis, quando nunc quidem non inest; inesse tamen potest: contingens, quando nunc quidem inest; abesse tamen potest, ut *homo necessario est animal*. *Impossibile est hominem esse brutum*. *Possibile est alterum mundum existere*. *Contingens est hunc mundum existere*.

Quæres 5<sup>to</sup>: Quid sit propositio 93  
exponibilis, quid exponens?

Resp. Exponibilis est, quæ licet formaliter sit propositio simplex; ratione tamen alicujus particulæ, nempe exclusivæ, exceptivæ, vel reduplicativæ æquivalet pluribus, & propter obscuritatem, quam habet, per illas exponi de-

debet. Illæ vero propositiones, quibus exponibilis æquivalet, & per quas exponitur, exponentes vocantur.

94 Quæres 6<sup>to</sup>: Quid sit propositio exceptiva?

Resp. Quæ constat aliqua particula exceptiva, cujusmodi sunt: *præter, nisi* &c. ut *omnis Apostolus est sanctus præter Judam*; cujus exponens est hæc copulativa: *omnis Apostolus, qui non est Judas, est sanctus, & Judas Apostolus, non est sanctus*. Ubi nota ad propositiones exceptivas duo requiri: imo: ut id, quod excipitur, contineatur in termino, a quo excipitur: unde hæc non est exceptiva: *omnes Logici scribunt præter canem*. Secundo: ut terminus, a quo excipitur, supponat distributive: unde nec ista est exceptiva: *aliquis Apostolus præter Judam est sanctus*, quæ potius hunc sensum facit: *non solum Judas; sed etiam aliquis alius Apostolus est sanctus*.

95 Quæres 7<sup>mo</sup>: Quid sit propositio exclusiva?

Resp. Quæ constat aliqua particula exclusiva, quales sunt: *solum, tantum* &c. quæ particulae, si afficiant subiectum, dicitur propositio de subiecto excluso, ut *tantum Petrus est Logicus*; quæ

quæ per hanc copulativam exponitur: *Petrus est Logicus, & nullus alius est Logicus*; si vero afficiunt prædicatum, dicitur propositio de prædicato excluso, ut *Petrus est tantum Logicus*; quæ huic æquivalet: *Petrus est Logicus, & nihil aliud*. Unde alium sensum faciunt particulæ exclusivæ, si afficiant subjectum; alium, si afficiant prædicatum.

Quæres 8<sup>vo</sup>: Quid sit propositio 96 reduplicativa?

Resp. Quæ constat aliqua particula reduplicativa, cujusmodi sunt: *ut, prout, qua, quatenus, &c.* quæ particulæ dupliciter sumi possunt: formaliter, & materialiter. Formaliter sumuntur, quando rem illam, quam afficiunt, denotant esse causam, seu rationem, propter quam prædicatum convenit subjecto, ut si dicam: *Petrus quia homo est risibilis*; quæ exponitur per hanc causalem: *Petrus est risibilis, quia est homo*. Materialiter sumuntur, quando denotant præcise simultatem duarum formarum in eodem subjecto, ut *Petrus qua Musicus studet*; cujus sensus est: *Petrus, qui simul est Musicus studet*; dicunturque ejusmodi propositiones esse veræ reduplicacione consortii; non vero re-

duplicatione formæ. Præterea particulæ reduplicativæ accipiuntur vel adæquate, quando afficiunt omnes partes subjecti: vel inadæquate, quando unam: & si quidem afficiunt formam, dicuntur ab aliquibus accipi formaliter; si naturam, materialiter.

97 Quæres 9<sup>no</sup>: Quid sit propositio de 2do, quid de 3tio adjacente?

Resp. Propositio de 2do adjacente est, quando solum subjectum, & verbum expresse ponitur; prædicatum vero in ipso verbo includitur, ut *Petrus est. Petrus currit.*

Propositio de 3tio adjacente est, quando præter subjectum, & verbum, ipsum etiam prædicatum expresse ponitur, ut *Petrus est homo.* Quamvis alii aliter has propositiones accipiant.

98 Quæres 10<sup>mo</sup>: Quid sit propositio identica, quid non identica?

Resp. Identica est, in qua subjectum, & prædicatum sunt formaliter idem, non tantum quoad rem significatam; sed etiam quoad modum significandi, ut *homo est homo; gladius est ensis.*

Non identica est, in qua prædicatum est forma diversum a subjecto,  
si

si non quoad rem significatam, saltem quoad modum significandi, ut *homo est animal rationale*; nam *ly animal rationale* clarius significat essentiam hominis, quam *ly homo*.

### A R T I C U L U S III.

*De Materia, Forma, Qualitate,  
& Quantitate Propositionum  
simplicium.*

Q UÆRES 1<sup>mo</sup>: Quid sit materia 99  
propositionis?

Ante Responſionem nota non quæri hic de materia propositionis *ex qua*; nam si propositio est actus compositus ex pluribus, dubium non est, materiam, ex qua illa componitur, esse subiectum, & prædicatum formale, tanquam duas apprehensiones simplices.

Quæritur itaque solum de materia *circa quam*, quæ duplex est: remota, & proxima. Hoc prænotato.

Resp. Materia remota est subiectum, & prædicatum objectivum, sive res ipsa significata per subiectum, & prædicatum; proxima vero habitudo prædicati objectivi ad subiectum ob-

jectivum; quia circa hanc solam immediate versatur propositio, estque triplex: necessaria, contingens, & impossibilis. In materia necessaria est illa propositio, cujus prædicatum necessario convenit subjecto, ut *homo est animal*. In materia contingenti est illa, cujus prædicatum convenit subjecto contingenter, ut *Petrus est Logicus*. In materia demum impossibili est illa, cujus prædicatum repugnat subjecto, ut *Hircus est cervus*. Ubi nota: quod aliud fit propositionem esse necessariam, vel impossibilem: aliud esse in materia necessaria, vel impossibili. 1<sup>um</sup> desumitur a veritate propositionis necessaria, vel impossibili. 2<sup>um</sup> a necessaria connexion, vel repugnantia inter prædicatum, & subjectum objectivum: quo fit, ut in materia necessaria possit esse propositio impossibilis, ut *homo non est animal*; & vicissim in materia impossibili possit esse propositio necessaria, ut *Hircus non est cervus*.

100 Quæres 2<sup>do</sup>: Quid sit forma propositionis?

Resp. Est copula; quia per hanc propositio constituitur formaliter in esse propositionis, sive enunciationis; per hanc

hanc enim enunciat habitudinem prædicati objectivi ad subiectum objectivum. Ubi nota non qualemunque copulam esse formam propositionis; sed principalem, illam nimirum, quæ connectit subiectum, & prædicatum. principale, quod plerumque est subiectum primum, & prædicatum ultimum; sic in hac propositione: *Logicus, qui non est piger, est laudabilis.* 2dum est est copula principalis, adeoque forma propositionis.

Quæres 3<sup>tio</sup>: Quid sit qualitas pro-<sup>101</sup>positionis?

Resp. Est affirmatio, & negatio, veritas, & falsitas; interroganti enim, qualis sit propositio? respondetur: affirmativa, vel negativa, vera, vel falsa. Est autem illa propositio negativa, cujus copula principalis est affecta particula negativa; secus est affirmativa. Unde adducta priori numero propositio est affirmativa, etsi copula minus principalis sit affecta particula negativa. Nota hic præterea in materia necessaria affirmativam semper esse veram, negativam falsam: in materia impossibili e converso negativam semper esse veram, affirmativam falsam.

D ;

Quæ-

102 Quæres 4<sup>to</sup> : Quid sit quantitas propositionis ?

Resp. Est universalitas, particularitas, singularitas, indefinitio. Interroganti enim: quanta sit propositio, sive quantum se extendat? responderetur: est universalis, particularis, singularis, indefinita. Est autem propositio universalis, cujus subjectum est affectum syncategoremate universali, ut *omnis homo est animal*. Particularis, cujus subjectum est affectum syncategoremate particulari, ut *aliquis homo currit*. Singularis, cujus subjectum est determinatum individuum, ut *Petrus currit*. Indefinita, cujus subjectum est terminus communis nullo affectus syncategoremate, ut *homo est animal; homo currit*. Ubi nota propositionem indefinitam in materia necessaria æquivalere universali; in contingenti vero particulari. Unde una propositio æquivalet huic: *omnis homo est animal*. Secunda huic: *aliquis homo currit*.

ARTICULUS IV.

*De Veritate Propositionum simplicium.*

**Q**Uæres 1<sup>mo</sup> : Quid requiratur ad 103; veritatem propositionis affirmativæ ?

Resp. Requiri universaliter, ut inter rectum subjecti, & rectum prædicati intercedat identitas adæquata, nulla habita ratione obliquorum. Ratio est; quia illa sola affirmatur: unde hæc propositio: *Album est dulce*, prolata de lacte est vera; licet albedo, & dulcedo non sint idem.

Quæres 2<sup>do</sup> : Quid requiratur ad 104. veritatem propositionis affirmativæ in materia contingenti ?

Resp. Requiri præterea, ut prædicatum conveniat subjecto pro tempore importato per copulam, non habita ratione alterius temporis. Ratio est; quia pro solo illo tempore prædicatum de subjecto affirmatur: unde nunc vera est hæc propositio: *Antichristus peccabit*. Etsi peccatum Antichristi nunc non existat; quia nimirum existet in tempore futuro, quod per copulam importatur.

D 4 Quæ.

105

Quæres 3<sup>to</sup>: An ad veritatem propositionis affirmativæ in materia contingenti requiratur etiam existentia subjecti?

Resp. Plerumque requiri. Ratio est; quia ejusmodi propositiones habent plerumque tale prædicatum, quod non potest convenire, nisi rei physice existenti: atque in hoc fundatur illud principium, quod in propositionibus contingentibus *ly est* accipiatur in vi verbi; adeoque hæc propositio: *Paries est albus*; resolvatur in hanc copulativam affirmativam: *Paries existit, & est albus*; hæc vero: *Antichristus peccabit*; in hanc: *Antichristus existet, & peccabit*. Dixi autem: plerumque requiri; quia, si prædicatum sit tale, quod potest convenire rei non existenti, tunc ad ejusmodi propositionum veritatem non requiritur existentia subjecti, uti non requiritur ad veritatem hujus: *Antichristus est cognitus*.

106

Quæres 4<sup>to</sup>: Quid requiratur ad veritatem propositionis negativæ in materia contingenti?

Resp. Conformiter ad duos præcedentes numeros requiri disjunctive, ut vel subjectum non existat, vel prædica-

dicatum subjecto existenti non conveniat pro tempore per copulam importato. Ratio est; quia alterutrum de subjecto negatur. Unde hæc propositio priori contradictorie opposita: *Paries non est albus*; resolvitur in hanc disjunctivam negativam: *paries vel non existit, vel non est albus.*

Quæres 5<sup>to</sup>: Quid requiratur ad 107 veritatem propositionis affirmativæ in materia necessaria?

Resp. Ut prædicatum conveniat subjecto ex suppositione, quod subjectum existat, etsi re ipsa non existat, neque unquam existitutum sit. Ratio est; quia nihil aliud affirmatur, quam necessaria connexio inter prædicatum, & subjectum, quæ connexio sufficienter verificatur per hoc, quod prædicatum conveniat subjecto, hoc ipso, quod istud existat, etsi re ipsa non existat; atque in hoc fundatur illud principium, quod in propositionibus necessariis *ly est* accipiatur præcise in vi copulæ; adeoque hæc propositio: *Antichristus est animal rationale*; resolvatur in hanc hypotheticam, sive conditionalem: *si Antichristus existit, est animal rationale.*

D §

Quæ-

108 Quæres 6<sup>to</sup> : Quid requiratur ad veritatem propositionis negativæ in materia impossibili ?

Resp. Conformiter ad numerum præcedentem : ut inter subjectum, & prædicatum intercedat distinctio conditionata, ex suppositione nimirum, quod existant. Ratio est ; quia per ejusmodi propositiones nihil aliud significatur, quam repugnantia inter prædicatum, & subjectum : quæ sufficienter verificatur per hoc, quod distinguantur ex suppositione, quod existant. Unde hæc propositio : *Hircus non est cervus* ; resolvitur similiter in hanc conditionalem : *si hircus existit, non est cervus.*

## A R T I C U L U S V.

### *De Oppositione Propositionum simplicium.*

109 Quæres 1<sup>mo</sup> : Quid sit oppositio propositionum ?

Resp. Est duarum propositionum habentium idem subjectum, & prædicatum, eodemque modo sumptum, vel secundum qualitatem, vel secundum quantitatem, vel secundum utramque simul

simul repugnantia, ut *omnis homo currit* : *aliquis homo non currit* ; in utraque enim est idem subjectum, idem prædicatum, & eodem modo sumptum. 1ma præterea est affirmativa, 2da negativa : quod est repugnare secundum qualitatem. 1ma est universalis, secunda particularis : quod est repugnare secundum quantitatem.

Quæres 2<sup>do</sup> : Quotuplex sit oppositio propositionum? 110

Resp. Est quadruplex : contradictoria, contraria, subcontraria, subalterna. Contradictoria est duarum propositionum (intellige semper : habentium idem subjectum, & prædicatum, eodemque modo sumptum) secundum quantitatem, & qualitatem repugnantia. Contraria est duarum propositionum universalium secundum solam qualitatem repugnantia. Subcontraria est duarum propositionum particularium rursus secundum solam qualitatem repugnantia. Subalterna demum est duarum propositionum secundum solam quantitatem repugnantia. Exempla complura habes in prima Tabula.

Quæres 3<sup>io</sup> : Quæ sint regulæ propositionum contradictoriarum? 111

D 6

Resp.

Resp. Duæ sequentes: 1<sup>ma</sup>: Non possunt esse simul veræ, juxta illud principium lumine naturæ notum: *idem non potest simul esse, & non esse.*

2<sup>da</sup>: Nec possunt esse simul falsæ, juxta alterum principium lumine naturæ notum: *quodlibet est, vel non est.*

Ex his regulis sequitur imo: alterutram ex contradictoriis esse veram, alterutram falsam. 2do: Ex veritate unius contradictoriæ bene inferri falsitatem alterius; & e converso ex falsitate unius veritatem alterius. Ubi præterea nota: aliud esse propositiones contradictorias; aliud prædicata contradictoria. Nam propositiones contradictoriæ præter prædicata contradictoria important etiam unum, idemque subjectum: quo fit, ut prædicata contradictoria possint simul verificari, vel falsificari, nempe de diversis subjectis; nunquam autem duæ propositiones contradictoriæ.

112 Quæres 4<sup>to</sup>: Quæ sint regulæ propositionum contrariarum?

Resp. Sequentes tres: 1<sup>ma</sup>: In nulla materia possunt esse simul veræ. Ratio est; quia hoc ipso etiam duæ contradictoriæ essent simul veræ. Sic

si

si veræ essent hæ contrariæ : *omnis homo currit ; nullus homo currit ;* veræ etiam forent hæ contradictoriæ : *omnis homo currit ; aliquis homo non currit.*

2<sup>da</sup> : In materia necessaria , & impossibili nec possunt esse simul falsæ. Ratio est ; quia in materia necessaria vera est semper affirmativa , ut *omnis homo est animal ; nullus homo est animal.* Ex quibus 1<sup>ma</sup> est necessario vera. Et in materia impossibili vera est semper negativa , ut *omnis homo est lapis ; nullus homo est lapis.* Ex quibus 2<sup>da</sup> est necessario vera.

3<sup>tia</sup> : In materia contingenti possunt esse simul falsæ. Ratio est ; quia fieri potest , ut prædicatum contingens neque conveniat omnibus , neque nulli ; sed tantum alicui , vel aliquibus. Sic simul falsæ esse possunt hæ duæ : *omnis homo currit ; nullus homo currit ;* si v. g. solus Petrus currat.

Ex his regulis sequitur imo : In omni materia ex veritate unius contrariæ bene inferri falsitatem alterius. 2<sup>do</sup> : Ex falsitate unius bene inferri veritatem alterius in materia necessaria , & impossibili ; non item in contingenti.

113 Quæres 5<sup>to</sup>: Quæ sint regulæ propositionum subcontrariarum?

Resp. Sequentes tres: 1<sup>ma</sup>: In materia contingenti possunt esse simul veræ. Ratio est; quia prædicatum contingens potest convenire uni, & non convenire alteri. Sic veræ sunt simul: *aliquis homo currit; aliquis homo non currit*. Si currente Petro non currat Paulus.

2<sup>da</sup>: In nulla materia possunt esse simul falsæ. Ratio est; quia hoc ipso duæ contrariæ essent simul veræ. Sic si falsæ essent hæ subcontrariæ: *aliquis homo currit; aliquis homo non currit*; veræ essent illarum contradictoriæ: *nullus homo currit; omnis homo currit*: quæ sunt inter se contrariæ.

3<sup>ta</sup>: In materia necessaria, & impossibili nec possunt esse simul veræ. Ratio est; quia hoc ipso etiam duæ contradictoriæ essent simul veræ. Sic si veræ essent hæ subcontrariæ in materia necessaria: *aliquis homo est animal; aliquis homo non est animal*; veræ etiam essent hæ contradictoriæ: *omnis homo est animal; aliquis homo non est animal*; cum prædicatum conveniens necessario uni homini, conveniat hoc ipso omnibus.

Si

Similiter, si veræ essent hæ duæ sub-  
contrariæ in materia impossibili: *ali-*  
*quis homo est lapis; aliquis homo non est*  
*lapis*; cum prædicatum repugnans uni  
homini, repugnet hoc ipso omnibus.

Ex his regulis sequitur imo: In  
omni materia ex falsitate unius sub-  
contrariæ bene inferri veritatem alte-  
rius. 2do: Ex veritate unius bene  
inferri falsitatem alterius in materia  
necessaria, & impossibili: secus in  
contingenti.

Quæres 6<sup>to</sup>: Quæ sint regulæ pro- 114  
positionum subalternarum?

Resp. Sequentes tres: 1ma: In  
materia necessaria affirmativæ sunt sem-  
per simul veræ, negativæ falsæ: in  
materia vero impossibili negativæ sunt  
semper simul veræ, & affirmativæ fal-  
sæ: ut constat ex hætenus dictis.

2<sup>da</sup>: In materia contingenti pos-  
sunt esse simul veræ, & possunt esse  
simul falsæ. Ratio 1mi est: quia hoc  
ipso, quod vera sit universalis, vera  
etiam est particularis juxta illud: *di-*  
*ctum de omni, dictum de aliquo. Et: di-*  
*ctum de nullo, dictum de aliquo non.* Sic  
si vero foret hæc subalternans: *omnis*  
*homo currit*, vera etiam foret illius  
sub-

subalternata: *aliquis homo currit*. Ratio secundi est; quia hoc ipso, quod vera sit universalis affirmativa, falsæ sunt ambæ subalternæ negativæ; & e converso hoc ipso, quod vera sit universalis negativa, falsæ sunt ambæ subalternæ affirmativæ. Sic si vera foret hæc: *omnis homo currit*, falsæ hoc ipso forent hæc duæ subalternæ: *nullus homo currit*; *aliquis homo non currit*.

3<sup>tia</sup>: In materia tamen contingenti non sunt necessario simul veræ, vel simul falsæ. Ratio est; quia cum subalternans sit universalis, & subalternata particularis, plus requiritur ad veritatem subalternantis, quam subalternatæ; minus vero ad falsitatem: proinde potest subalternans esse falsa, & subalternata vera. Sic potest esse falsa hæc: *omnis homo currit*; & vera hæc: *aliquis homo currit*.

Ex his regulis sequitur imo: In omni materia ex veritate subalternantis bene inferri veritatem subalternatæ; sed non vicissim, nisi in materia necessaria, & impossibili. 2do; In omni materia ex falsitate subalternatæ inferri falsitatem subalternantis; sed non vicissim.

cissim, nisi rursum in materia necessaria, & impossibili.

Quæres 7<sup>mo</sup>: An præter quadruplicem oppositionem hætenus expositam detur aliqua alia oppositio? 115

Resp. Præter quadruplicem oppositionem, cujus leges hætenus attulimus, quæque dicitur oppositio de modo enunciandi, dari etiam aliam, quæ vocatur oppositio de lege, seu verius exlex; eo, quod non servet leges de universalitate, & particularitate subjecti n. 110. memoratas. Huc spectant propositiones contradictoriæ de subjecto singulari, ut *Petrus currit. Petrus non currit.* Quæ quoad verificationem sequuntur leges contradictoriarum; non possunt enim esse simul falsæ, & simul veræ.

Quæres 8<sup>vo</sup>: An inter particulas *omnis*, & *aliquis non* intercedat contradictio formalis? 116

Resp. Negative. Ratio est; quia contradictio formalis, seu ratione formæ est illa, quæ in omni materia facit propositiones contradictorias; sed particule *omnis*, & *aliquis non* non faciunt in omni materia propositiones contradictorias: ergo. *min.* patet in his duabus

bus propositionibus : *omnis Deus est omnipotens ; aliquis Deus non est omnipotens.* Quæ non sunt contradictoriæ ; cum utraque sit falsa : utraque enim ex parte subjecti supponit, adeoque implicite affirmat aliquid falsum, nempe pluralitatem Deorum : 1ma propter ly *omnis* ; 2da propter ly *aliquis non*. Sicut ob eandem rationem hæ duæ propositiones : *hoc dulce est album ; hoc dulce non est album ;* prolatae de subjecto amaro non sunt contradictoriæ ; quia utraque est falsa, & suppositum falsum. Unde hæ , & similes propositiones : *omnis homo currit ; aliquis homo non currit ;* sunt solum contradictoriæ ratione materiæ. Idem est proportionaliter de particulis *nullus, & aliquis.*

117 Quæres 9<sup>no</sup> : Quæ sit regula contradictionis formalis, sive ad faciendas propositiones contradictorias in quacunque materia ?

Resp. Esse hanc : ut particula *non* neganter accepta toti propositioni præponatur juxta illud axioma : *non est melius contradicere, quam toti propositioni negationem præponere.* Et ratio a priori est ; quia propositiones contradictoriæ sunt illæ, quarum una præcise negat, quod

quod affirmat, aut supponit altera : sed hoc fit tunc, quando particula *non* neganter accepta toti propositioni præponitur ; cum enim hæc particula sit malignantis naturæ, negat disjunctive omnia, quæ post se invenit : ergo. Unde huic propositioni : *hoc dulce est album* ; prolatæ de subjecto amaro opponitur contradictorie hæc : *non hoc dulce est album*. Quarum ima est falsa, 2da vera ; nam prima resolvitur in hanc copulativam : *hoc est dulce, & est album*. Secunda in hanc disjunctivam : *vel hoc non est dulce, vel non est album*. Similiter igitur huic : *omnis Deus est omnipotens* ; opponitur contradictorie hæc : *non omnis Deus est omnipotens* : ex quibus iterum ima est falsa, 2da vera ; nam ima æquivalet huic copulativæ : *dantur plures Dii, & singuli sunt omnipotentes*. 2da huic disjunctivæ : *vel non dantur plures Dii, vel non singuli sunt omnipotentes*.

Dices imo contra n. III. *Omnis homo est omnis homo ; aliquis homo non est omnis homo*, sunt propositiones contradictoriæ ; sed utraque est vera : ergo propositiones contradictoriæ possunt esse simul veræ.

Resp.

Resp. D. Maj. Sunt propositiones contradictoriæ, si ly *omnis homo* supponat distributive, C. Maj. Si collective, N. Maj. sic D. min. N. Conseq. Ratio distinctionis est; quia, si ly *omnis homo* supponat distributive, tunc una propositio facit hunc sensum: *quivis homo seorsim sumptus est omnis homo*; quæ est falsa; si vero supponat copulative, tunc facit hunc sensum: *omnes homines simul sumpti sunt omnis homo*; quæ quidem est vera: sed non contradictoria alterius; quia mutatur suppositio copulativa.

119 Dices 2do, & inferes: Ergo neque hæc sunt contradictoriæ: *omnis homo currit; aliquis homo non currit*: quia etiam mutatur suppositio, nempe distributiva in determinatam.

Resp. N. illatum. Ad rationem additam dico mutationem suppositionis distributivæ in determinatam non obstare propositioni contradictoriæ, sicut obstat mutatio suppositionis copulativæ; nam mutata suppositione distributiva in determinatam non mutatur subjectum; dum enim affirmo aliquid de omni homine supponente distributive, affirmo illud etiam de quo-

quovis seorsim; & dum idem de aliquo in particulari nego, necessario illud iterum nego de eodem, de quo prius affirmavi. E contra mutata suppositione copulativa mutatur subjectum; dum enim affirmo aliquid de omni homine supponente copulative, affirmo illud solum de tota collectione; deinde vero non nego idem de tota collectione; sed de aliquo in particulari.

Pro reliquis solvendis nota 1<sup>mo</sup>: 120  
 has propositiones: *omnes homines currunt*; *aliqui homines non currunt*; non esse contradictorias; possunt enim esse simul falsæ, si nimirum unicus homo homo non currat. Unde quoad verificationem sequuntur leges contrariarum.

Nota 2<sup>do</sup>: Neque has: *homo currit*; *homo non currit*; esse contradictorias, sed subcontrarias; nam conformiter ad n. 102. æquivalent his: *aliquis homo currit*, *aliquis homo non currit*.

Nota 3<sup>io</sup>: Si subjectum propositionis supponat copulative, aut negative, tunc eo modo illi contradicitur, quo singulari. Unde contradictoriæ sunt: *omnes Apostoli sunt duodecim*; *omnes Apostoli non sunt duodecim*; Item *aliquis cala-*

*calamus est necessarius ad scribendum; alius  
quis calamus non est necessarius ad scri-  
bendum.*

123 Nota 4<sup>to</sup>: Ad cognoscendam op-  
positionem præcipue eam, quæ est de  
lege, has regulas servire posse: Con-  
tradictoriæ sunt, quarum una præcise  
negat, quantum sufficit ad falsitatem  
alterius: contrariæ, quarum una plus:  
& subcontrariæ, quarum una minus  
negat, quam requiratur ad falsitatem  
alterius. Subalternæ demum, quarum  
una aliquid tantum affirmat, vel negat  
ex iis pluribus, quæ affirmat, vel ne-  
gat altera.

## A R T I C U L U S V I.

### *De Æquipollentia propositionum simplicium.*

124 **Q**Uæres 1<sup>mo</sup>: Quid sit æquipollen-  
tia propositionum?

Résp. Est propositionum opposita-  
rum quoad sensum æquivalentia facta  
per particulam *non*, ita ut valeat mu-  
tua ab una ad alteram illatio.

Quæ.

Quæres 2<sup>do</sup>: Quæ sint regulæ col-125  
locandi particulam *non*, ut propositiones  
oppositæ fiant æquipollentes?

Resp. Eas hoc versu contineri:

*Præ* contradic; *Post* contra; *Præ*, *Post*que subalter.

*Præ* *contradic* significat, ut una contradic-  
toria fiat æquipollens alteri, particu-  
lam *non* esse subiecto præponendam.  
Sic ut ex his duabus contradic-  
toris: *omnis homo currit; aliquis homo non cur-  
rit*; 2da fiat æquipollens 1mæ, dic:  
*non aliquis homo non currit*; ut 1ma 2dæ,  
dic: *non omnis homo currit*.

*Post* *contra* significat, ut una con-  
traria fiat æquipollens alteri, particu-  
lam *non* esse subiecto postponendam.  
Sic ut ex his duabus contrariis: *omnis  
homo currit; nullus homo currit*; 2da fiat  
æquipollens 1mæ, dic: *nullus homo non  
currit*; ut 1ma 2dæ, dic: *omnis homo  
non currit*. Idem est de subcontrariis;  
nisi quod hæ potius fiant eadem, quam  
æquipollentes: ut consideranti patebit.

*Præ*, *Post*que *subalter* significat, ut  
subalternæ fiant æquipollentes, parti-  
culam *non* esse bis ponendam, nempe  
ante, & post subiectum. Sic ut ex  
his duabus subalternis: *omnis homo cur-  
rit,*

*rit; aliquis homo currit; 2da fiat æquipollens 1mæ, dic: non aliquis homo non currit; ut 1ma 2dæ, dic: non omnis homo non currit.*

126 Quæres 3tio: Quæ sint signa æquipollentiæ?

Resp. Signa æquipollentiæ, in quibus artificium reddendi prædictas propositiones æquipollentes consistit, esse sequentia:

*Pro contradictoriis.*

Omnis: ergo non aliquis non.

Aliquis non: ergo non omnis.

Nullus: ergo non aliquis.

Aliquis: ergo non nullus.

*Pro contrariis.*

Omnis: ergo nullus non.

Nullus: ergo non aliquis non.

*Pro subalternis.*

Omnis: ergo non aliquis non.

Aliquis: ergo non omnis non.

Nullus: ergo non aliquis.

Aliquis non: ergo non nullus non.

Ad normam horum signorum facile etiam alia syncategoremata tabulæ 1mæ æquipollentia reddi possunt.

ARTICULUS VII.

*De Conversione propositionum.*

**Q**uæres 1<sup>mo</sup>: Quid sit conversio 127  
propositionum?

Resp. Est mutatio unius propositionis in alteram per extremorum transpositionem, ita, ut, quod in 1ma fuit prædicatum, fiat in 2da subjectum, & quod in 1ma fuit subjectum, fiat in 2da prædicatum; vel, ut alii definiunt: est unius propositionis ad alteram per extremorum transpositionem consequentia necessaria; non tamen semper mutua: ex quibus illa, quæ in alteram mutatur, & ex qua altera inferitur, dicitur conversa, altera vero convertens.

Quæres 2<sup>do</sup>: Quotuplex sit con- 128  
versio?

Resp. Est triplex: simplex, per accidens, & per contrapositionem; simpliciter convertuntur universalis negativa, & particularis affirmativa: per

accidens universalis negativa, & affirmativa; per contrapositionem universalis affirmativa, & particularis negativa. Id quod sequentes versiculi exprimunt:

Simpliciter fEcI, convertitur EvA per acci,  
AftO per contra; sic fit conversio tota.

In quibus observandæ sunt tres illæ voces: fEcI, EvA, AftO; & in his vocibus quatuor vocales: A. E. I. O. Per A. designatur universalis affirmativa: per E. universalis negativa: per I. particularis affirmativa: per O. particularis negativa. Quod rursum sequentibus duobus versiculis significatur:

Afferit A. negat E; verum generaliter ambo,  
Afferit I. negat O; sed particulariter ambo.

129 Quæres 3<sup>io</sup>: Quomodo fiat conversio simplex?

Resp. Subjectum mutatur in prædicatum, reliquis omnibus invariatis, ut *nullus homo est lapis; ergo nullus lapis est homo; aliquis homo currit; ergo aliquis quod currens est homo.*

130 Quæres 4<sup>to</sup>: Quomodo fiat conversio per accidens?

Resp. Præter subjectum, & prædicatum mutatur etiam quantitas uni-  
ver-

versalis in particularem, ut *nullus homo est lapis: ergo aliquis lapis non est homo; omnis homo est animal: ergo aliquod animal est homo.*

Quæres 5<sup>to</sup>: Quomodo [fiat con- 131  
versio per contrapositionem?

Resp. Subjectum mutatur in prædicatum, & utrique præponitur particula *non* infinitanter accepta; reliqua manent invariata, ut *omnis homo est animal: ergo omne non animal est homo; aliquis paries non est albus; ergo aliquod non album est non paries.*

132

Dices 1<sup>mo</sup>: Juxta n. 129. hæc particularis affirmativa: *aliquis homo comedit leporem*, deberet sic converti: *ergo aliquis lepus comedit hominem*; sed hoc dici non potest: ergo.

Resp. N. maj. quia in hac propositione: *aliquis homo comedit leporem*, non obliquus *leporem*, sed rectus *comedens leporem* est prædicatum; unde sic converti debet: *ergo aliquod comedens leporem est homo.* Ob eandem rationem hæc universalis affirmativa: *omnia quinque sunt plura, quam quatuor*, non debet sic converti per accidens: *ergo aliqua quatuor sunt plura, quam quinque*; sed sic: *ergo aliqua plura, quam quatuor sunt quinque.*

133 Dices 2<sup>do</sup>: Juxta n. 130. hæc universalis affirmativa: *omnis senex fuit juvenis*, deberet sic converti: *ergo aliquis juvenis fuit senex*; sed hoc admitti nequit: ergo.

Resp. N. iterum *maj.* quia ampliatio terminorum debet servari eadem, sicut ergo *ly senex* in propositione conversa accipitur relate ad tempus præsens, & *ly juvenis* relate ad tempus præteritum; ita debent etiam accipi in convertente; unde sic converti debet: *ergo aliquis, qui fuit juvenis, est senex.* Ob eandem rationem hæc universalis negativa: *nullus senex erit puer*, non debet converti simpliciter in istam: *ergo nullus puer erit senex*; sed in hanc: *ergo nullus, qui erit puer, est senex.*

134 Pro reliquis solvendis nota 1<sup>mo</sup> Hanc universalem negativam: *nullus Angelus est Deus*, non converti simpliciter sic: *ergo nullus Deus est Angelus*: hæc enim convertens est falsa: cum supponat multipliciter Deorum; sed sic: *ergo nihil, quod est Deus, est Angelus.* Similiter hæc universalis affirmativa: *omnis Persona Divina est Deus*, convertitur per accidens in istam: *ergo aliquid, quod est Deus, est Persona Divina.* Unde sic tantum



tum facta conversio est bona formaliter, sive ratione formæ: cum solus iste modus valeat in omni materia.

Nota 2<sup>do</sup>: Propositiones singulares 135 quoad modum conversionis æquivalere universalibus; unde singularis affirmativa convertitur per accidens, vel per contrapositionem, ut *Petrus est homo: ergo aliquis homo est Petrus*; vel: *aliquis non homo est non Petrus*. Singularis negativa convertitur simpliciter, vel per accidens, ut *Petrus non est leo: ergo nullus leo est Petrus*. vel: *aliquis leo non est Petrus*. Quod si & subjectum, & prædicatum sint termini singulares, fit conversio simplex, ut: *Petrus est hic homo: ergo hic homo est Petrus*.

Nota 3<sup>tio</sup>: Ea, quæ hæctenus de 136 materia, forma, qualitate, quantitate, veritate, oppositione, æquipollentia, & conversione propositionum dicta sunt, etsi præcipue accommodata sint propositionibus simplicibus absolutis; maxima tamen sui parte etiam aliis propositionibus cum proportionem convenire. Aliqua tamen, quæ propositionibus modalibus, & compositis propria, scituque magis necessaria sunt, sequentibus duobus articulis notabimus.

## ARTICULUS VIII.

*De Propositionibus modalibus.*

137 **N**Ota 1<sup>mo</sup>: Quadruplicem modum, quem n. 92. insinuavi, dupliciter in propositione efferri posse: adverbialiter, vel adjective. Adverbia modalia sunt: *necessario*, *impossibiliter*, *contingenter*, *possibiliter*. Adjectiva vero: *necesse*, *impossibile*, *contingens*, *possibile*. Hic potissimum dicetur de illis propositionibus modalibus, in quibus modus adjective efferitur; in quas tamen aliæ resolvi possunt.

138 **N**Ota 2<sup>do</sup>: Illam vocem, quæ in propositione modali exprimit modum, dici modum; illam vero propositionem simplicem, de qua modus enunciatur, vocari dictum. Sic in hac modali: *hominem esse animal est necesse*, *ly necesse est* modus; *ly hominem esse animal est* dictum. Unde in ejusmodi modalibus modus agit prædicatum, dictum subjectum, & 2da copula, quæ nimirum modum connectit cum dicto, est copula principalis; a qua proinde desumitur, an propositio sit affirmativa, an negativa.



Omne necesse valet; valet impossibile nullus.  
Possibile quidam; quidam non possibile non.

141 Nota 5<sup>to</sup>: Oppositionem quatuor modorum esse eandem, quæ intercedit inter quatuor syncategoremata: *omnis*, *nullus*, *aliquis*, *aliquis non*, quibus illi æquivalent. Quia tamen propositiones modales tam de dicto universali, & particulari, quam etiam de singulari esse possunt; vide earundem oppositionem in Tabula 2da.

142 Nota 6<sup>to</sup>: Universalem regulam contradicendi cuicunque modali, etiam suppositionis falsæ conformiter ad n. 117. esse hanc: ut toti propositioni præponatur particula *non* neganter accepta. Sic huic modali: *omnem Deum esse omnipotentem est necesse*; contradictorie opponitur hæc: *non omnem Deum esse omnipotentem est necesse*.

143 Nota 7<sup>mo</sup>: In iis modalibus, quæ non sunt suppositionis falsæ, si particula *non* non præponitur toti propositioni, præponendam saltem esse copulæ, & modo: nam alioquin non negatur modus, quem propositio modalis principaliter affirmat; proinde non habetur illius contradictoria. Unde huic propositioni: *paries necessario est albus*; non

non opponitur contradictorie hæc: *paries necessario non est albus*: utraque enim est falsa; sed ista: *paries non est necessario albus*.

Nota 8<sup>vo</sup>: Eandem regulam va- 144  
lere pro iis modalibus, quæ affirmant aliquem modum, a quatuor dialecticis modis distinctum; quales v. g. sunt: *evidenter, probabiliter &c.* Unde huic: *creatura perfectissima evidenter est possibilis*; non opponitur contradictorie ista: *creatura perfectissima evidenter non est possibilis*; sed hæc: *creatura perfectissima non est evidenter possibilis*. Signa æquipollentiæ pro modalibus facile formari possunt ad normam signorum in Articulo 6<sup>to</sup> adductorum.

## ARTICULUS IX.

### *De Propositionibus compositis.*

Nota 1<sup>mo</sup>: Affirmationem, vel ne- 145  
gationem propositionum compositarum, nempe copulativarum, disjunctivarum, causalium, & conditionalium desumi primario ab affirmatis, vel negatis particulis copulativis, disjunctivis, causalibus, & conditionalibus.

E s      No-

246 Nota 2<sup>do</sup>: Ad veritatem propositionis copulativæ requiri veritatem singularum propositionum simplicium; unde falsa erit tota, si vel unica ex simplicibus sit falsa. Sic falsa est ista: *Et Deus existit, Et alter mundus est conditus*. Neque dici potest, quod ejusmodi propositiones sint inadæquate, id est, secundum unam simplicem veræ; & inadæquate, nempe secundum alteram simplicem falsæ: quia affirmant utrumque indivisibiliter, sive pro sensu composito.

147 Nota 3<sup>tio</sup>: Ad veritatem propositionis disjunctivæ sufficere veritatem unius propositionis simplicis; unde ut sit falsa, debent singulæ esse falsæ. Sic vera est hæc: *vel Deus existit, vel alter mundus est conditus*; licet posterior simplex secundum se sit falsa: quia tantum alterutrum affirmat.

138 Nota 4<sup>to</sup>: Ad veritatem propositionis causalis tria requiri, imo: ut verum sit illud, quod assumitur pro causa. 2<sup>do</sup>: ut verum sit illud, quod enunciatur ut causatum. 3<sup>tio</sup>: ut illud, quod assumitur pro causa, habeat respectu causati rationem alicujus causæ saltem illativæ: quia omnia hæc 2  
pro-

propositione causali affirmantur. Defectu 1mi falsa est ista: *quia Petrus est Angelus, est rationalis.* Defectu 2di hæc: *quia Deus prohibuit; Adam de ligno non comedit.* Defectu 3tii sequens: *quia sol splendet, baculus est in angulo.*

Nota 5<sup>to</sup>: Ad veritatem proposi- 149  
tionis conditionatæ sufficere, si ob-  
jectum conditionatum transeat in abso-  
lutum purificata conditione, etsi illud  
re ipsa nunquam fiat: quia nimirum  
nunquam purificatur conditio; unde  
vera est hæc: *si Petrus haberet auxilium  
A, eidem consentiret;* modo Petrus in  
casu, quo haberet auxilium A, pone-  
ret sub illo consensum, etsi illum re-  
ipsa nunquam positurus sit: quia ni-  
mirum nunquam habebit auxilium A.  
Utrum autem ad veritatem conditio-  
natæ insuper requiratur, ut conditio  
conducat ad conditionatum, vel saltem  
aliquam cum illo habeat connexionem;  
disputant Theologi, & illas quidem,  
in quibus ejusmodi conditio reperitur,  
vocant conditionatas sub conditione  
conducente, qualis est prædicta pro-  
positio; alias vero conditionatas sub  
conditione disparata appellant dispara-  
tas, qualis est ista: *si Turca Constanti-*

*nopoli saltaret ; Petrus Viennæ converte-  
retur.*

150 Nota 6<sup>to</sup>: Propositionem copula-  
tivam æquivalere universali, & disjun-  
ctivam particulari: unde eadem pro-  
portionaliter est oppositio propositio-  
num copulativarum, & disjunctivarum,  
quæ universalium & particularium ;  
nempe copulativæ affirmativæ oppo-  
nitur contradictorie negativa disjun-  
ctiva ; contrarie negativa copulativa ;  
copulativæ negativæ opponitur contra-  
dictorie affirmativa disjunctiva ; con-  
trarie affirmativa copulativa. Has qua-  
tuor propositiones, si in quadratum  
redigas, habes ejusmodi propositionum  
simplicium oppositionem, ut videre  
est in 3<sup>tia</sup> Tabula, quæ oppositionem  
propositionum copulativarum, & dis-  
junctivarum de subjecto universali, &  
particulari, tum etiam de singulari  
exhibet.

151 Nota 7<sup>mo</sup>: Universalem iterum  
regulam contradicendi cuicunque co-  
pulativæ, & disjunctivæ conformiter  
ad hætenus dicta esse, ut toti proposi-  
tioni præponatur particula *non* negan-  
ter accepta. Id quod etiam circa pro-  
positiones causales, & conditionales,  
uti

uti & circa exponibiles observandum est. Exempla, quæ sibi quisque formare poterit, brevitatis causa omitto.

# PARS TERTIA.

## *De Tertia mentis operatione.*

### ARTICULUS I.

*De Modis sciendi in communi, & in particulari de Definitione.*



Quæres 1<sup>mo</sup>: Quid sit mo- 152  
 dus sciendi in communi,  
 & quotuplex?  
 Resp. Modus sciendi  
 in communi est *oratio*  
*manifestativa ignoti*. Et quia tria po-  
 tissimum nobis ignota sunt, nempe  
 primo: rerum essentia, 2do: earum  
 partes, & constitutiva, 3tio: proprie-  
 tates, accidentia, causæ, & effectus;  
 tres etiam sunt modi sciendi dialectici:  
 definitio, quæ primum, divisio, quæ  
 2dum, & argumentatio, quæ 3tium  
 manifestat.

853 Quæres 2<sup>do</sup>: Quid sit definitio,  
& quotuplex?

Resp. Cum Aristotele imo Topi-  
corum c. 4. *Definitio est oratio, quid  
erat esse significans, sive: est oratio, ex-  
plicans essentiam rei; cumque essentia  
rei sit 2plex: physica, & metaphysi-  
ca; duplex etiam est definitio: phy-  
sica, quæ explicat essentiam rei per  
partes physicas, ut homo est compositum  
ex corpore, & anima rationali inter se sub-  
stantialiter unitis; metaphysica, quæ  
explicat essentiam rei per prædicata  
metaphysica, quorum unum est genus  
proximum, alterum differentia ultima;  
ut homo est animal rationale. Aliæ defi-  
nitionum species ad Rhetoricam po-  
tius, quam Dialecticam pertinent.*  
Hic præterea nota, utramque hanc de-  
finitionem aliam esse objectivam, aliam  
formalem. Objectiva sunt ipsæ par-  
tes physicae, vel prædicata metaphy-  
sica rei, per quæ illius essentiam ex-  
plicamus; formalis vero est cogni-  
tio, qua prædictas partes, vel prædi-  
cata concipimus. Ex quo sequitur,  
quod tantum definitio objectiva, non  
item formalis sit essentialiter idem  
cum definito.

Quæ-

Quæres 3<sup>tio</sup>: Quæ sint regulæ de-154  
finitionis Dialecticæ?

Resp. Sequentes tres, ad quas omnes aliæ revocantur, 1<sup>ma</sup>: Definitio debet esse clarior suo definito: est enim explicatio illius.

2<sup>da</sup>: Debet habere genus proximum, & differentiam ultimam. Ad quam regulam revocantur aliæ tres; imo: quod debeat esse convertibilis cum definito, ita nimirum, ut cuicumque convenit definitio, conveniat etiam definitum, & vicissim. 2<sup>do</sup>: quod debeat convenire omni, & soli definito. 3<sup>tio</sup>: quod debeat fieri per prima rei prædicata, quæ nimirum sint radix metaphysica cæterorum: omnia enim hæc tria hoc ipso habentur, quod habeatur genus proximum, & differentia ultima.

3<sup>tia</sup>: Nihil debet habere superflui. Ad quam etiam illa revocatur, quod definitionem non debeat ingredi ipsum definitum.

Quæres 4<sup>to</sup>: Quid intelligatur no-155  
mine generis proximi, & differentiæ ultimæ?

Resp. Nomine generis proximi intelligi genus infimum, & immediatum,

tum, hoc est, illud prædicatum, per quod res definita respective cum paucissimis convenit; nomine vero differentiae ultimæ venit illud prædicatum, per quod res definita differt ab omnibus aliis, quæ sub eodem genere proximo continentur. Utriusque exemplum habes in definitione hominis, in qua *animal* est genus proximum: *rationale* differentia ultima.

156 Dices: Differentia ultima est illud prædicatum, per quod definitum differt ab omni alio; sed per *rationale* homo non differt ab omni alio: non enim differt a Deo, & Angelis: ergo.

Resp. D. *maj.* Differentia ultima est illud prædicatum, per quod definitum differt ab omni alio contento sub eodem genere proximo, C. *maj.* Non contento N. *maj.* sic D. *min.* N. *conseq.* Ratio distinctionis est; quia Deus, & Angeli non continentur sub hoc genere *animal*, sed homo, & brutum; sufficit itaque, quod homo per *rationale* differat a bruto. Unde immerito aliqui rejiciunt definitionem hominis communiter receptam, illumque definiunt: *principium sentiendi, & discurrendi.*

Pro reliquis solvendis nota 1<sup>mo</sup>: In 157  
 definitione definitionis idem esse defi-  
 nitionem, & definitum realiter, non  
 vero formaliter. Nam definitio defi-  
 nitionis sub alio conceptu est defini-  
 tum, sub alio definitio. Definitum est  
 sub hoc conceptu: *definitio*; definitio  
 vero est sub hoc conceptu: *oratio ex-  
 plicans essentiam rei.*

Nota 2<sup>do</sup>: Definitionem definitio- 158  
 nis esse simul claram, & obscuram;  
 sed sub diverso conceptu. Obscura est  
 iterum sub hoc conceptu: *definitio*; &  
 clara sub hoc: *oratio explicans essentiam  
 rei.*

## A R T I C U L U S II.

### *De Divisione.*

Q<sup>U</sup>æres 1<sup>mo</sup>: Quid sit divisio, & 159  
 quotuplex?

Resp. Divisio est *oratio distribuens  
 totum in suas partes.* Unde pro triplici  
 differentia totius; triplex est: metaphy-  
 sica, distribuens totum metaphysicum  
 in partes metaphysicas, hoc est, ra-  
 tione nostra ab invicem distinctas, ut  
 si *hominem* dividas in *animal*, & *ratio-  
 nale*;

*nale*; physica, distribuens totum physicum in partes physicas, hoc est, realiter ab invicem distinctas, ut si *hominem* divides in *corpus*, & *animam*; logica, distribuens, totum potestativum sive potentiale in partes potentiales, hoc est, inferiora sub eo contenta, ut si dicas: *animal* aliud est *rationale*, aliud *irrationale*; *homo* alius est *Petrus*, alius *Paulus* &c.

160 Quæres 2<sup>do</sup>: Quæ sint regulæ bonæ divisionis?

Resp. Sequentes quatuor, 1<sup>ma</sup>: Membra dividenda debent contineri in diviso. Hinc mala est divisio *animalis* in *hominem*, & *lapidem*. Dicitur autem divisum illud totum, quod dividitur, & membra dividenda illæ partes, in quas totum dividitur.

2<sup>da</sup>: Unum membrum dividens non debet includi in altero. Hinc vitiosa est divisio *animalis* in *rationale* & *irrationale*, & *equum*: quia equus includitur in irrationali.

3<sup>tia</sup>: Divisum debet latius patere quam singula membra dividenda; omnia tamen membra dividenda simul sumpta debent adæquare divisum. Defectu 1<sup>mi</sup> mala est divisio *animalis* in

*prim-*

*principium sentiendi, & ratiocinandi: quia principium sentiendi æque late patet, ac animal. Defectu 2di mala est divisio animalis in terrestre, æereum tantum: quia datur præterea animal aquaticum.*

4<sup>ta</sup>: Debet fieri in membra immediata, seu proxime dividenda, deinde in remotiora. rñsic intelligitur est divisio animalis in hominem, & equum: n: quia inter animal, & equum mediat brutum. Hæc tamen regula brevitas causa sæpe non observatur.

Quæres 3<sup>tio</sup>: Quæ sint regulæ argumentandi ex divisione totius potestativi? 161

Resp. Sequentes 4tuor: 1<sup>ma</sup>: ab affirmatione divisi non valet consequentia ad affirmationem unius membri dividendi determinate, sed solum disjunctive. Sic non valet: *est animal: ergo est rationale; sed: ergo vel est rationale, vel irrationale.*

2<sup>da</sup>: A negatione divisi bonum est argumentum ad negationem omnium membrorum dividendum, ut *non est animal: ergo nec est rationale, nec irrationale.*

3<sup>tia</sup>:

3<sup>ta</sup>: Ex affirmatione membri dividendi bene infertur affirmatio divisi, ut *est homo: ergo est animal.*

4<sup>ta</sup>: Ex negatione unius membri dividendi non bene infertur negatio divisi: bene tamen infertur ex negatione omnium dividendum. Sic mala est hæc illatio; *non est homo: ergo non est animal*; bona tamen est ista: *nec est homo, nec brutum: ergo non est animal.*

162. Dices contra 2dam regulam bonæ divisionis: Divisio hominis in animal, & rationale est bona; sed animal includitur in rationali; ergo potest esse bona divisio, etsi unum membrum includatur in altero.

Resp. C. maj. D. min. Sed animal includitur metaphysice in rationali N. min. Includitur realiter, nempe per identitatem realem C. min. & D. conf. Ergo potest esse bona divisio in una linea, etsi unum membrum includatur in altero in alia linea C. conf. etsi includatur in eadem linea N. conf. Ratio distinctionis est, quia divisio hominis in animal, & rationale est solum bona in linea metaphysica, in qua linea animal non includitur in rationali. Ob eandem etiam rationem bona  
na

na est divisio metaphysica hominis in animal, & rationale, etsi animal latius pateat, quam homo: quia solum latius patet in linea logica; in quantum nimirum de pluribus prædicari potest, quam homo; non vero in linea metaphysica: quia homo præter animal includit etiam metaphysice rationale.

Pro reliquis solvendis nota 1<sup>mo</sup>: 163  
 Definitionem hominis, quod sit animal rationale, & divisionem hominis in animal, & rationale, explicare quidem essentiam hominis per easdem partes metaphysicas; non tamen eodem modo: definitio enim habet modum tendendi compositivum conjungendo partes, divisio autem resolutivum dividendo objectum in suas partes.

Nota 2<sup>do</sup>: Divisionem canis in 164  
*terrestrem, caelestem, & marinum* esse tantum divisionem nominis in diversa significata.

Nota 3<sup>io</sup>: Pro complemento ho- 165  
 rum duorum articulorum, definitionem, & divisionem pertinere ad primam mentis operationem: utraque enim est simplex, clarior tamen rei  
 ap-

apprehensio; illa per genus proximum, & differentiam ultimam, hæc per partes. Unde definitio hominis non est tota hæc propositio: *homo est animal rationale*; sed solum prædicatum *animal rationale*, quod est terminus completus. Idem est cum proportione de divisione; iudicavi tamen de utraque hoc loco agendum esse, ut tres modi sciendi ordine exponerentur.

### A R T I C U L U S III.

*De Argumentatione in genere, & variis illius speciebus.*

166 **Q**Uæres 1<sup>mo</sup>: Quid sit argumentatio in genere, & quotuplex?

Resp. Argumentatio in genere est oratio, in qua unum ex alio arguitur; atque hinc argumentatio dicitur. Quatuor communiter illius species a Dialecticis assignantur: Syllogismus, Enthymema, Inductio, Exemplum. His Recentiores quidam Soritem, & Dilemma; alii etiam Instantiam, & Epicherema addunt.

Quæres 2<sup>do</sup>: Quid sit Syllogismus?

Resp.

Resp. Cum Aristotele imo Priorum, c. imo: *est oratio, in qua quibusdam positis, aliud quid a positis necesse est coningere, eo, quod hæc sint.* Sensus est, quod sit argumentatio, in qua, rite dispositis præmissis, necessario sequitur conclusio propter connexionem, quæ est inter præmissas, & conclusionem. Unde tribus propositionibus constat syllogismus; nempe: duabus præmissis, quarum 1ma dicitur major, 2da minor; & conclusione, quæ necessario sequitur ex præmissis necessitate consequentiæ; non autem semper necessitate consequentis; hoc est, ita necessario sequitur, ut intellectus rite dispositus concessis præmissis non possit negare conclusionem, licet illa interdum secundum se sit falsa, ut in hoc syllogismo: *omne A est B; omne C. est A: ergo omne C. est B.*

Quæres 3<sup>tio</sup>: Quid sit Enthymema-168  
ma?

Resp. Est argumentatio, in qua ex una propositione infertur altera, ut *Petrus est homo: ergo est animal.* Ex quibus 1ma propositio dicitur antecedens, 2da consequens. Dicitur etiam Enthymema syllogismus truncatus, seu

feu imperfectus: quia una ex præmissis syllogismi in Enthymemate omittitur, & solum subintelligitur. Sic in prædicto Enthymemate subintelligitur hæc major: *omnis homo est animal.*

169 Quæres 4<sup>to</sup>: Quid sit Inductio?

Resp. Est argumentatio, in qua ex particularibus sufficienter enumeratis infertur universalis, ut *equus sentit, leo sentit, & sic de reliquis; ergo omne brutum sentit.*

170 Quæres 5<sup>to</sup>: Quid sit Exemplum?

Resp. Est argumentatio, in qua ex uno, vel pluribus similibus infertur aliud ob paritatem rationis; unde etiam dicitur argumentatio a pari, ut *Ethica est practica; ergo & Logica est practica.* Consequentia probari debet dando rationem paritatis, ut *ideo Ethica est practica, quia pro fine suo habet praxim; sed etiam Logica pro fine suo habet praxim; ergo si Ethica est practica, etiam Logica est practica.* Si concessa majori & minori neget Adversarius consequentiam; debet dare disparitatem.

171 Quæres 6<sup>to</sup>: Quid sit Sorites?

Resp. Est argumentatio, in qua plures propositiones coacervantur eo ordine, ut prædicatum unæ sit subiectum

ctum 2dæ, prædicatum 2dæ sit rursus  
 subjectum 3tiæ, & sic deinceps, do-  
 nec tandem prædicatum ultimum di-  
 catur de subjecto 1mo; ut *omnis homo  
 est animal, omne animal est vivens, omne  
 vivens est substantia; ergo omnis homo est  
 substantia.*

Quæres 7<sup>mo</sup>: Quid sit Dilemma? 172

Resp. Est argumentatio bicornis,  
 in qua allatis duabus propositionibus  
 contradictoriis, quamcunque ex illis  
 adversarius admittat (alterutram au-  
 tem admittere debet) semper aliquid  
 contra ipsum infertur; ut: *vel vis in Phi-  
 losophia proficere, vel non vis? si vis: er-  
 go studendum; si non vis: ergo cessandum.*

Quæres 8<sup>vo</sup>: Quid sit Instantia? 173

Resp. Est argumentatio, in qua ad-  
 ducendo exemplum contrarium osten-  
 ditur falsam esse assertionem adversa-  
 rii. Unde valet potissimum ad infrin-  
 gendas assertiones universales, ut si  
 quis dicat, omnes Apostolos esse salvos,  
 instantia contra illum est in Juda, &  
 sic arguitur: *Judas fuit Apostolus, & ta-  
 men non est salvus: ergo falsum est, omnes  
 Apostolos esse salvos.* Sæpe tamen In-  
 stantia pro paritate accipitur.

471

Quæres 9<sup>no</sup>: Quid sit Epicherema?

Resp. Est argumentatio, unica propositione comprehensa, quæ tamen propositio æquivalet syllogismo; ut *servus debet Domino parere*. Quæ propositio æquivalet huic syllogismo: *omnis servus debet parere suo Domino; sed hic homo est servus hujus Domini: ergo debet illi parere*. Utimur Epicheremate, cum breviter adferenda est ratio.

#### A R T I C U L U S IV.

##### *De Argumentatione in genere.*

571 **N**ota 1<sup>mo</sup>: In omni argumentatione tria reperiri: illud, ex quo aliquid infertur, illud, quod infertur, & connexionem unius cum altero. 1<sup>um</sup>, si sit unica propositio, dicitur antecedens, si duæ, præmissæ; 2<sup>dum</sup> dicitur consequens, 3<sup>tium</sup> consequentia. Unde aliud est consequens, aliud consequentia: sicut aliud est illatum, aliud illatio.

176 **N**ota 2<sup>do</sup>: Fieri posse, ut consequens sit falsum; consequentia tamen bona, ut *Petrus habet alas: ergo potest volare*. Licet enim falsum sit, Petrum pos-

posse volare; illud tamen ex hoc antecedenti: *Petrus habet alas*, bene inferitur ob naturalem inter alas, & potentiam volandi connexionem. Fieri etiam potest e converso, ut consequens sit verum, consequentia tamen mala, ut *sol splendet*; ergo *baculus est in angulo*. Licet enim verum sit, baculum esse in angulo; illud tamen ex hoc antecedenti: *sol splendet*, male inferitur: cum nulla sit inter utrumque connexio. Unde in tali argumentatione conceditur consequens, & negatur consequentia.

Nota 3<sup>o</sup>: Consequentiam nunquam 177  
distingui posse, sed tantum consequens.  
Ratio est: quia consequentia consistit in indivisibili; in connexionem nimirum antecedentis cum consequenti, quæ vel datur, & tunc consequentia est simpliciter concedenda, vel non datur, & tunc est simpliciter neganda. E contra consequens potest habere plures sensus, darique connexio antecedentis cum consequenti, si hoc accipiatur in uno; & non dari, si accipiatur in altero sensu. In tali igitur casu debet distingui consequens, & concedi consequentia, si consequens accipiatur in

uno sensu; negari, si accipiatur in altero.

178 Nota 4<sup>to</sup>: Illationem posse esse bonam vel tantum materialiter, vel tantum formaliter, vel materialiter simul, & formaliter. Materialiter tantum bona est tunc, quando est bona ratione solius materiæ, sive terminorum ex natura sua inter se connexorum, ut *Pe:rus est animal: ergo est homo*. Nam si servata eadem forma mutetur materia, & dicatur: *equus est animal: ergo est homo*; nullatenus tenet consequentia. Formaliter tantum bona est tunc, quando est bona ratione solius formæ, sive dispositionis terminorum ita, ut servata hac dispositione in omni materia teneat consequentia, ut *omne A est B; omne C est A; ergo omne C est B*. Materialiter simul, & formaliter bona est tunc, quando est bona tum ratione materiæ, tum ratione formæ, ut *omne animal est substantia, omnis homo est animal: ergo omnis homo est substantia*.

179 Nota 5<sup>to</sup>: Quando illatio est formaliter bona, uti est in omni syllogismo recto, concessis simpliciter præmissis non posse distingui consequens. Ratio est: quia, quando illatio est formaliter

maliter bona, tunc ideo in conclusione affirmatur identitas duorum extremorum inter se; quia in præmissis affirmata est identitas duorum extremorum cum uno tertio absque omni distinctione; proinde in omni sensu etiam sic concedi debet identitas duorum extremorum inter se in conclusione juxta illud: *quæcunque sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se.*

A R T I C U L U S V.

*De Principiis intrinsecis  
syllogismi.*

**Q**Uæres 1<sup>mo</sup>: Quid sit principium 180  
intrinsecum syllogismi, & quotu-  
plex?

Resp. Principium intrinsecum syllogismi est illud, ex quo syllogismus intrinsece constituitur, estque duplex: materiale, & formale. Materiale est materia; formale est forma syllogismi.

Quæres 2<sup>do</sup>: Quid sit materia syllogismi? 181

Ante responsionem nota, non quæri hic de materia syllogismi *circa quam*: hæc enim sufficienter colligitur ex di-

Etis de materia *circa quam* propositio-  
num, ex quibus syllogismus constat.  
Quæritur itaque solum de materia *ex*  
*qua*, quæ duplex est: remota, & pro-  
xima. Hoc prænotato,

Resp. Materia remota syllogismi  
sunt termini; proxima vero propositio-  
nes. Ratio est: quia syllogismus pro-  
xime, sive immediate componitur ex  
propositionibus; remote autem, sive  
mediate ex terminis.

182 Quæres 3<sup>tio</sup>: Quot terminis con-  
stet syllogismus, & quibus?

Resp. Syllogismus constat tribus  
terminis, quorum nomina sunt: majus  
extremum, minus extremum, & me-  
dius terminus. Majus extremum di-  
citur ille terminus, qui agit prædica-  
tum quæstionis, minus extremum il-  
le, qui agit ejusdem subjectum, et  
medius terminus ille, qui assumitur  
ad probandum id, quod est in quæsti-  
one, sive qui assumitur tanquam me-  
dium inter duo extrema ad probandam  
inter ea identitatem, vel distinctionem.  
Quivis ex his terminis bis ponitur in  
syllogismo: majus extremum in prima  
præmissa, & conclusione, minus ex-  
tremum in 2da præmissa, & conclusio-  
ne:

ne: medius terminus in utraque præmissa.

Quæres 4<sup>to</sup>: Quot propositionibus 183  
constet syllogismus, & quibus?

Resp. Constare similiter tribus, ut ex hætenus dictis sufficienter colligitur; 1<sup>a</sup> eorum dicitur major: quia in ea regulariter ponitur majus extremum; 2<sup>a</sup> minor: quia in ea regulariter ponitur minus extremum; utraque dicitur præmissa: quia præmittitur ad inferendam conclusionem; tertia vocatur conclusio: quia in ea concluditur, sive infertur id, quod probandum erat. Patent omnia in hoc syllogismo: *omne animal est substantia; omnis homo est animal: ergo omnis homo est substantia.* In quo majus extremum est *substantia*, minus extremum *homo*: medius terminus *animal*.

Quæres 5<sup>to</sup>: Quid sit forma syllo- 184  
gismi?

Resp. Est apta terminorum, & propositionum ad inferendam conclusionem dispositio. Unde pariformiter duplex est: remota, & proxima. Remota est terminorum, proxima est propositionum dispositio: quia illa inducitur in materiam remotam, hæc in proximam.

Porro forma remota dicitur figura syllogismi; proxima vero modus syllogismi.

## A R T I C U L U S VI.

### *De figuris, & modis syllogismorum.*

185 **Q**Uæres 1<sup>mo</sup>: Quid sit figura syllogismi, & quotuplex?

Resp. Figura syllogismi est apta dispositio terminorum, seu majoris, & minoris extremi cum medio termino in ordine ad hujus prædicationem, & subjectionem; quæ dispositio cum tripliciter fieri possit, triplex etiam est figura: 1ma, in qua medius terminus in majori agit subjectum, in minori prædicatum; 2da, in qua medius terminus tam in majori, quam in minori agit prædicatum, 3tia, in qua medius terminus in utraque agit subjectum.

Quod sequenti versiculo memoriæ mandatur:

Sub, Præ, prima; bis Præ, 2da; 3tia bis sub.

186 **Q**Uæres 2<sup>do</sup>: Quid sit modus syllogismi, & quot sint ejusmodi modi?

Resp.

Resp. Modus syllogismi est apta dispositio trium propositionum secundum earum quantitatem, & qualitatem, attendendo nimirum, ut propositio universalis, & particularis, affirmativa, & negativa suo loco, & ordine collocetur. Cumque ex mutata quantitate, & qualitate propositionum variæ earundem combinationes fieri possint; varii etiam sunt modi: celebriores tamen, & magis usitati sunt 19. ex quibus alii dicuntur directi, sive directe concludentes, in quorum conclusione majus extremum prædicatur de minori extremo, alii indirecti, sive indirecte concludentes, in quorum conclusione per conversionem minus extremum de majori extremo prædicatur. Omnes quatuor sequentibus versibus, & 19. vocibus exprimuntur.

*Figura prima.*

bArbArA, cElArEnt, dArII, fErIO, bArAlIpton.  
cElAntEs, dAbItIs, fApEsmO, frIsEsOmorum.

*Figura secunda.*

cEsArE, cAmEstreS, festInO, bArOco dArAptI.

*Figura tertia.*

fElAptOn, dIsAmIs, dArIsI, brOcaRdO, fErIsOn.

19. modi syllogismi sunt 20. ubi tertium, 21. syllogismi sunt 22. quod amari

187 Pro usu horum versuum observa,  
 imas tantum tres vocales in qualibet  
 voce esse significativas, & quantitatem,  
 ac qualitatem propositionum denotare.  
 A. scilicet denotat propositionem uni-  
 versalem affirmativam; E. universalem  
 negativam; I. particularem affirmati-  
 vam; O. particularem negativam jux-  
 ta illud: *Afferit A, negat E, &c.* Sin-  
 gulæ autem voces singulos modos si-  
 gnificant, & in singulis vocibus prima  
 vocalis indicat quantitatem, & quali-  
 tatem majoris, 2da minoris, 3tia con-  
 clusionis. Demum imæ quatuor vo-  
 ces significant quatuor modos directos  
 imæ figuræ; quinque sequentes quin-  
 que modos indirectos ejusdem figuræ:  
 imæ quatuor voces tertii versus qua-  
 tuor modos 2dæ figuræ; sex postremæ  
 sex modos 3tiæ figuræ. Omnium ex-  
 empla subjicio in Tabula quarta.

188 Pro reliquis, huc spectantibus, nota  
 primo: immerito a Galleno tribus fi-  
 guris Aristotelicis 4tam addi, in qua  
 medius terminus in majori agat prædi-  
 catum, & in minori subjectum: nam  
 hæc non differt a prima Aristotelica,  
 nisi fere accidentaliter: non enim dif-  
 fert quoad dispositionem terminorum;  
 cum

cum in utraque medius terminus semel agat subjectum, semel prædicatum; sed solum quoad ordinem propositionum, quatenus major fit minor, & vicissim. Sic syllogismus Aristotelicus in *bArbArA* est: *omne animal est substantia; omnis homo est animal: ergo omnis homo est substantia.* Gallenicus vero: *omnis homo est animal; omne animal est substantia: ergo omnis homo est substantia.* Accedit, quod in figura Gallenica 1<sup>ma</sup> propositio debeat dici minor: cum contineat minus extremum; & 2<sup>da</sup> major: cum contineat majus extremum.

Nota 2<sup>do</sup>: omnes alios syllogismorum simplicium modos ad unum ex 19. prædictis reduci posse. Sic iste syllogismus: *omne vitium est fugiendum; omne mendacium est vitium: ergo aliquod mendacium est fugiendum,* continetur in *bArbArA*; cum ex iisdem præmissis inferri possit conclusio universalis: *ergo omne mendacium est fugiendum;* cui in hoc syllogismo substituitur conclusio particularis.

## ARTICULUS VII.

*De Principiis extrinsecis  
syllogismi.*

190 **Q**Uæres 1<sup>mo</sup>: Quid sit principium extrinsecum syllogismi, & quod duplex?

Resp. Principium extrinsecum syllogismi est illud, quo probatur bonitas syllogismi. Ejusmodi principia sunt duplicia: dirigentia, & perficientia. Dirigentia sunt ima principia syllogismorum, sive propositiones quædam ex terminis notæ, in quibus tota vis, & forma syllogistica fundatur. Perficientia sunt regulæ reducendi syllogismum, sive mutandi illum ex imperfecto in perfectum, ut sic illius bonitas clare appareat. De principiis perficientibus dicetur ternis Articulis, quibus de triplici reductione agetur. Hic solum dirigentia, sive ima syllogismorum principia explicabuntur.

191 **Q**Uæres 2<sup>do</sup>: Quæ sint ima syllogismorum principia?

Resp. Sequentia quatuor: 1<sup>um</sup> est: Quæcunque sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se. 2<sup>dum</sup>: Quæcunque

que non sunt eadem uni tertio, non sunt eadem inter se. 3<sup>tium</sup>: Dici de omni, dici de aliquo. 4<sup>tum</sup>: Dici de nullo, dici de aliquo non. Ex quibus duo, nempe primum, & tertium, sunt affirmativa, valentque pro syllogismis affirmative concludentibus; duo alia, videlicet 2<sup>dum</sup>, & 4<sup>tum</sup>, sunt negativa, valentque pro negative concludentibus.

Quæres 3<sup>o</sup>: Quis sit sensus 1<sup>mi</sup> <sup>192</sup> principii?

Resp. Est sequens: Quandocumque duo sunt adæquate identificata cum uno tertio, illa sunt pariter identificata inter se. Addidi adæquate: quia etiam partes physicæ sunt inadæquate identificatæ cum uno tertio, nempe cum toto, & tamen ab invicem realiter distinguuntur. Hoc principio regulantur præcipue syllogismi expository affirmative concludentes: ut *hic homo est Philosophus; hic homo est Petrus: ergo Petrus est Philosophus.* Dicitur autem syllogismus expository ille, qui vel constat ex tribus terminis singularibus, vel saltem habet medium terminum singularem.

Quæres 4<sup>o</sup>: Quis sit sensus secun- <sup>913</sup> di principii?

F 7

Resp.

Resp. Est sequens: Quodocunque duo non sunt identificata cum uno tertio; illa nec sunt identificata inter se: nimirum si unum ex illis sit identificatum cum illo tertio, alterum vero non sit identificatum cum eodem tertio. Quod addo: quia alias hoc principium fallit: nam etiam animal, & rationale hominis non sunt identificata cum uno tertio v. g. cum lapide, & tamen sunt identificata inter se. Hoc principio regulantur præcipue syllogismi expositorii negative concludentes, ut *Petrus est hic homo; Paulus non est hic homo: ergo Paulus non est Petrus.*

194 Quæres 5<sup>to</sup>: Quis sit sensus tertii principii:

Resp. Est sequens: Quidquid dicitur de subiecto communi distributive supponente; dici etiam debet de quovis contento sub illo. Hoc principio regulantur syllogismi affirmativi, quorum medius terminus est communis, ut *omnis homo est animal; Petrus est homo: ergo Petrus est animal. Deus est omnipotens; Filius est Deus: ergo Filius est omnipotens.*

185 Quæres 6<sup>to</sup>: Quis sit sensus quarti principii?

Resp.

Resp. Est sequens: Quidquid negatur de subiecto communi distributive supponente, negari etiam debet de quovis contento sub illo. Hoc principio regulantur syllogismi negativi, quorum medius terminus est communis; ut *nullus homo est lapis; Petrus est homo: ergo Petrus non est lapis. Deus non est creatura; Filius est Deus: ergo Filius non est creatura.*

## ARTICULUS VIII.

### *De Regulis Syllogismorum.*

**Q**Uæres 1<sup>mo</sup>: Quæ sint regulæ syllogismorum? 106

Resp. Sequentes septem: 1<sup>ma</sup> est: Tres tantum sint termini. 2<sup>da</sup>: Medius terminus non ingrediatur conclusionem. 3<sup>tia</sup>: Medius terminus in aliqua ex præmissis distribuatur. 4<sup>ta</sup>: Nullus terminus, non distributus in præmissis, distribuatur in conclusione. 5<sup>ta</sup>: Ex duabus præmissis particularibus nihil concluditur. 6<sup>ta</sup>: Ex duabus præmissis negativis nihil concluditur. 7<sup>ma</sup>: Conclusio sequitur partem debiliorem. Quæ omnes deducuntur ex  
qua-

quatuor principiis priori Articulo expositis, docentque, quæ in syllogismo observanda, quæ vitanda, ut legitime concludat. Continentur autem sequentibus quatuor versibus:

Terminus est trinus: medio ne clauderis usquam:  
Altera distribui medium præmissa requirit.

Partibus ex puris sequitur nil, sive negatis;

Et sequitur partem conclusio debiliorem:

197 Quæres 2<sup>do</sup>: Quid præcipiat prima regula?

Resp. Ut tribus tantum terminis, in tres propositiones digestis, constet syllogismus, nempe subjecto, & prædicato conclusionis, ac medio termino. Ratio hujus regulæ est: quia alias in præmissis non affirmatur, aut negatur identitas duorum cum uno tertio; proinde nec potest in conclusione affirmari, aut negari eorum identitas inter se. Hinc vitiosus est syllogismus, qui constat quatuor terminis, hoc est, subjecto, & prædicato conclusionis, ac duobus mediis terminis; duobus inquam, seu formaliter, si nimirum sint duo nomina cum diversis significatis; seu virtualiter, si sit unum nomen cum duobus diversis significatis,

tistis, aut suppositionibus, ut *canis est animal latrabile*; *stella est canis*: ergo *stella est animal latrabile*: ubi sequentes quatuor termini reperiuntur: *stella, animal latrabile, canis pro bruto, canis pro stella*. Sæpissime hoc vitium in argumentando committitur: quia, mutata quavis proprietate, sive acceptione medii termini, jam habentur virtualiter duo.

Quæres 3<sup>tio</sup>: Quid vetet 2da re- 198  
gula?

Resp. Ne medius terminus ponatur in conclusione. Ratio est: quia in conclusione debet præcisè affirmari, vel negari identitas duorum extremorum inter se propter affirmatam, vel negatam identitatem eorum cum uno tertio in præmissis. Atque hinc est, quod medius terminus in præmissis bis poni debeat.

Quæres 4<sup>to</sup>: Quid præcipiat 3tia 199  
regula?

Resp. Ut medius terminus, si is sit terminus communis, in aliqua ex præmissis supponat distributive. Ratio est: quia alias in præmissis non est dictum de omni, vel dictum de nullo, consequenter non poterit in-

con-

conclusionem esse dictum de aliquo, vel dictum de aliquo non. Unde vitiosus est sequens syllogismus: *omnis homo est animal; omnis leo est animal: ergo omnis leo est homo*: quia medius terminus *animal* in utraque præmissa idem significat, ac *aliquod animal*. Dixi autem: si is sit terminus communis: quia medius terminus singularis, qualis est in syllogismo expositorio, nec potest, nec debet distribui; potest autem, & debet distribui communis, saltem æquivalenter, ut fit in hoc syllogismo: *Deus est omnipotens; Filius est Deus: ergo Filius est omnipotens*. In quo *Deus* distribuitur æquivalenter. Sic enim resolvitur: *omne id, quod est Deus, est omnipotens; sed Filius est id, quod est Deus: ergo Filius est omnipotens*. Nota præterea, quod debeat distribui complete, & non tantum incomplete, sive quod debeat supponere pro singulis generum, & non tantum pro generibus singulorum. Defectu hujus illegitime concludit iste: *omne animal fuit in arca Noë; tuus canis est animal: ergo tuus canis fuit in arca Noë*.

200 Quæres 5<sup>to</sup>: Quid vetet quarta regula?

Resp.

Resp. Ne aliquod extremum latius sumatur in conclusione, quam in præmissis. Ratio est: quia in tali conclusione non sola illa extrema affirmantur, vel negantur esse eadem inter se, quæ in præmissis affirmata, vel negata sunt esse eadem cum uno tertio. Vitiosus igitur est hic syllogismus: *omne animal est vivens; omne animal est substantia: ergo omnis substantia est vivens:* quia *substantia* in conclusione extenditur ad omnes, in minori solum ad aliquas.

Quæres 6<sup>to</sup>: Quid vetet quinta 201 regula?

Resp. Ne utraque præmissa sit particularis, hoc est, cum syncategoremate *aliquis*. Ratio est: quia in tali syllogismo medius terminus non distribuitur, evaduntque quatuor termini. Quare vitiosus est sequens syllogismus: *aliqua substantia est Angelus; aliqua substantia est animal: ergo aliquod animal est Angelus.* Ob easdem rationes ex una particulari, & altera singulari nihil concluditur, ut *aliquis homo est natus; Antichristus est aliquis homo: ergo Antichristus est natus.*

Quæ-

202 Quæres 7<sup>mo</sup>: Quid vetet sexta regula?

Resp. Ne utraque præmissa sit negativa. Ratio est: quia in talibus præmissis neque affirmatur identitas duorum extremorum cum uno tertio, neque negatur, ita nimirum; ut unum extremum affirmetur, alterum negetur esse idem cum uno tertio: ergo etiam in conclusione nec poterunt affirmari, nec negari esse eadem inter se. Hinc vitiosus est iste syllogismus: *nullus lapis est animal; nullus homo est lapis: ergo nullus homo est animal.*

203 Quæres 8<sup>vo</sup>: Quid præcipiat septima regula?

Resp. Ut si alterutra præmissa sit particularis, conclusio sit particularis; si alterutra negativa, conclusio sit negativa: si alterutra probabilis, conclusio sit probabilis: propositio enim probabilis debilior est, quam evidens, negativa, quam affirmativa; & particularis, quam universalis. Ratio autem hujus regulæ est: quia, si ex alterutra præmissa particulari inferatur conclusio universalis, aliquis terminus, non distributus in præmissis, distribuitur in conclusione. Si ex alterutra negativa  
in-

inferatur affirmativa, affirmatur in conclusione identitas duorum extremorum inter se; quin in præmissis fuerit affirmata utriusque identitas cum uno tertio. Si demum ex alterutra probabili inferatur evidens; major enunciatur connexio duorum extremorum inter se in conclusione, quam cum uno tertio in præmissis. Unde vitiosi sunt sequentes tres syllogismi: *omnis homo est animal; aliqua substantia est homo: ergo omnis substantia est animal. Nullum animal est lapis; omnis homo est animal: ergo omnis homo est lapis. Evidens est omne currens moveri; probabile est Petrum currere: ergo evidens est Petrum moveri.*

Quæres 9<sup>no</sup>: Pro regula tertia, & 204 quarta unde cognosci possit, an terminus in propositione distribuatur, an non?

Resp. Ex quantitate, & qualitate propositionis: nam in propositione universali affirmativa distribuatur solum subjectum, in particulari negativa solum prædicatum, in particulari affirmativa neutrum, in universali negativa utrumque. Congruunt hæc cum dictis n. 65. & sequenti versu docentur.

A sub distribuit, dictum O, nihil I, sed E totum.

In quo quatuor vocalibus A. O. I. E. quatuor prædictæ propositiones designantur, juxta illud: *asserit A. &c. & per ly sub significatur subiectum, per dictum prædicatum, per nihil nec subiectum, nec prædicatum, per totum & subiectum, & prædicatum.* Serviet hic versus etiam pro sequentibus.

## A R T I C U L U S IX.

### *De Regulis Figurarum in particulari.*

205 **Q**Uæres 1<sup>mo</sup>: Quæ sint regulæ primæ figuræ?

Resp. Sequentes duæ: Minor sit affirmativa, & major universalis. Contra 1<sup>am</sup> est: *omne animal est vivens; nulla planta est animal: ergo nulla planta est vivens.* Vitium illius est, quod terminus *vivens*, non distributus in præmissis, distribuatur in conclusione. Contra secundam: *aliquod animal est homo; omnis equus est animal: ergo aliquis equus est homo.* Vitium illius est, quod medius terminus *animal* in neutra præmissa distribuatur. Nota tamen, has duas

duas regulas valere solum pro modis primæ figuræ directe concludentibus : nam indirecte bene concluditur, tum ex minori negativa, ut fit in *fApEsmO*: tum ex majori particulari, ut fit in *frIsEsOmorum*. Exempla habes in Tabula quarta.

Quæres 2<sup>do</sup>: Quæ sint regulæ secundæ figuræ?

Resp. Sequentes duæ: Alterutra ex præmissis sit negativa, & major universalis. Contra primam est: *omne animal est substantia; omnis lapis est substantia; ergo omnis lapis est animal*. Vitium illius est, quod medius terminus *substantia* in neutra præmissa distribuatur. Contra secundam: *aliquod animal est homo; nullus equus est homo; ergo aliquis equus non est animal*. Vitium illius est, quod terminus *animal*, non distributus in præmissis, distribuatur in conclusione.

Quæres 3<sup>tio</sup>: Quæ sint regulæ tertiæ figuræ?

Resp. Sequentes duæ: Minor sit affirmativa, & conclusio particularis. Contra primam est: *omnis homo est animal; nullus homo est equus; ergo aliquis equus non est animal*. Vitium illius est iterum, quod terminus *animal*, non di-

stri-

tributus in præmissis, distribuatur in conclusione. Contra secundam: *omnis homo est rationale; omnis homo est animal; ergo omne animal est rationale.* Vitium illius est idem, quod præcedentis. Omnes autem prædictæ regulæ tribus his versiculis comprehenduntur,

*Pro 1ma Figura:*

Sit minor affirmans: nec major sit specialis.

*Pro 2da Figura:*

Una negans præeat: nec major sit specialis.

*Pro 3tia Figura:*

Sit minor affirmans: conclusio sit specialis.

208 Pro reliquis huc spectantibus nota primo: omnes has regulas figurarum in particulari fundari in regulis syllogismorum præcedenti Articulo expositis: ut patet ex dato vitio cujusque syllogismi contra has regulas formati.

209 Nota 2<sup>do</sup>: Si aliquis syllogismus, formatus contra regulas sive hoc, sive præcedenti Articulo allatas, bene concludat, illam solum bene concludere ratione materiæ; non autem ratione formæ, quod facile deprehendes, si servata eadem forma materiam mutaveris.

A R T I C U L U S X.

*De Reductione syllogismi per ostensionem.*

**Q**Uæres 1<sup>mo</sup>: Quid sit reductio syllogismi in communi, & quot modis fiat? 210.

Resp. Reductio syllogismi in communi est mutatio syllogismi imperfecti in perfectum, ut per hunc posteriorem prioris bonitas ostendatur. Fit tribus modis; 1<sup>mo</sup>: per ostensionem, 2<sup>do</sup>: per impossibile, 3<sup>tio</sup>: per expositionem. Ut autem intelligas, quis syllogismus hic dicatur perfectus, quis imperfectus; nota, ex novemdecim syllogismorum modis, Articulo sexto adductis (præscindendo a syllogismis expositiviis, qui plerumque in tertia figura fiunt) solos quatuor modos directos primæ figuræ dici perfectos, eo quod ita clare, & connaturaliter concludant, ut a quolibet audiente bonitas, & vis illationis statim advertatur; reliqui quindecim dicuntur imperfecti, non quod illegitime, sed quod non ita clare concludant. Unde si adversarius in uno ex quindecim

modis imperfectis concessis præmissis neget consequentiam ; reducendus is erit ad unum ex quatuor modis perfectis, ut sic adversarius vel conclusionem prius negatam concedere, vel alia duo contradictoria admittere cogatur.

211 Quæres 2<sup>do</sup> : Quid sit reductio syllogismi per ostensionem ?

Resp. Est mutatio syllogismi imperfecti in perfectum ita, ut retento eodem medio termino facta solum propositionum conversione, vel transpositione inferatur conclusio prius negata, vel certe illius convertens ; sicque eam adversarius concedere cogatur : atque hinc dicitur reductio per ostensionem.

212 Quæres 3<sup>io</sup> : Quæ sint regulæ reductiois ostensivæ ?

Resp. Sequentes duæ ; ima est : Modi imperfecti reducendi sunt ad eos modos perfectos, quibuscumque conveniunt in litera initiali. Unde modi imperfecti habentes initialem litteram B. reducendi sunt ad *Barbara*, C. ad *Celarent*, D. ad *Darii*, F. ad *Ferio*.

2da : Quando in modo imperfecto reperitur litera S. ; propositio, quam denotat vocalis proxime antecedens,

con-

convertenda est simpliciter, quando  
 litera P., convertenda est per accidens:  
 quando litera M., minor mutanda est  
 in majorem, & major in minorem,  
 quando litera C. non in principio,  
 sed in medio dictionis, tunc talis mo-  
 dus non potest reduci per ostensionem,  
 sed per impossibile. Tales modi sunt:  
*Baroco*, & *Brocardo*. Hæc regula se-  
 quentibus duobus versibus exprimitur:

S. vult simpliciter verti; P. vero per acci:

M. vult transponi; C. per impossibile duci:

Pro intelligendis his regulis, vide 213  
 earum usum in exemplo. Sit syllo-  
 gismus in *fApEsmO*: *omnis homo est ani-*  
*mal; nullum brutum est homo: ergo aliquod*  
*animal non est brutum*. Hic syllogismus,  
 si negetur consequentia, conformiter  
 ad regulam primam reducendus est ad  
*Ferio*: quia initialis litera est F; de-  
 inde conformiter ad regulam secun-  
 dam: quia in *Fapesmo* reperitur litera  
 P., major, quam proxime antecedens  
 vocalis A. denotat, convertenda est  
 per accidens in hanc; *aliquod animal*  
*est homo*. Item, quia in *Fapesmo* re-  
 peritur litera S.; minor, quam proxi-  
 me antecedens vocalis E. denotat,

convertenda est simpliciter hoc modo :  
*nullus homo est brutum.* Præterea, quia  
 etiam in *Fapesmo* reperitur litera M. ;  
 minor mutanda est in majorem, &  
 major in minorem. Demum conclusio  
 manet prior : quia in *Fapesmo* voca-  
 lem O., quæ conclusionem denotat,  
 nulla amplius sequitur consonans, quæ  
 illius conversionem exigeret. Prædi-  
 ctus igitur syllogismus in *Fapesmo* mu-  
 tatur in istum in *fErIO* : *nullus homo est*  
*brutum ; aliquod animal est homo : ergo*  
*aliquod animal non est brutum.*

## A R T I C U L U S      X I.

*De Reductione syllogismi per im-  
 possibile.*

213 QUæres 1<sup>mo</sup> : Quid sit reductio syl-  
 logismi per impossibile ?

Resp. Est mutatio syllogismi im-  
 perfecti in perfectum ita, ut assumptæ  
 propositione contradictoria conclusionis  
 negatæ inferatur contradictoria, vel sal-  
 tem contraria præmissæ concessæ ; sic-  
 que adversarius duo contradictoria ad-  
 mittere cogatur : & ideo dicitur re-  
 du-

ductio per impossibile, quæ ut in singulis figuris rite fiat;

215 Quæres 2<sup>do</sup>: Quæ sint regulæ reductionis per impossibile?

Resp. Sequentes tres, singulæ pro singulis figuris. Ima pro ima figura: Contradictoria conclusionis negatæ ponenda est pro majori: prior major ab adversario concessa pro minori: & sequetur conclusio contradictoria, aut saltem contraria propositioni concessæ. Excipitur syllogismus in *Celantes*, in cujus reductione prior minor fit major, & contradictoria conclusionis negatæ fit minor.

Secunda pro secunda figura: Prior major ab adversario concessa manet, pro minori ponenda est contradictoria conclusionis negatæ: sequetur conclusio repugnans minori concessæ.

Tertia pro tertia figura: contradictoria conclusionis negatæ ponenda est pro majori, prior minor ab adversario concessa manet: & sequetur conclusio opposita majori concessæ. Omnes tres regulas sequentes versus complectuntur;

*Pro prima figura:*

Major fit minor, & fit contradictio majori;  
Excipe *Celantes*, in quo convertitur ordo.

*Pro secunda figura:*

Servat majorem, variatque secunda minorem.

*Pro tertia figura:*

Tertia majorem variat, servatque minorem.

219 Pro intelligendis his regulis habe iterum exemplum. Sit syllogismus in *bAr Allpton*: *omne animal est substantia; omnis homo est animal: ergo aliqua substantia est homo.* Hunc syllogismum, si negetur consequentia, cum sit in prima figura, sic juxta regulam primam per impossibile reduc: pro majori pone contradictoriam conclusionis negatæ, hanc nimirum: *nulla substantia est homo;* pro minori pone priorem majorem ab adversario concessam: *omne animal est substantia;* sequitur: *ergo nullum animal est homo;* quæ propositio, cum juxta regulas de conversione convertatur in hanc: *nullus homo est animal;* contraria est minori concessæ, includitque illius contradictoriam: *aliquis homo non est animal.*

ARTICULUS XII.

*De Reductione syllogismi per expositionem.*

**Q**Uæres 1<sup>mo</sup>: Quid sit reductio syllogismi per expositionem? 217

Resp. Est mutatio syllogismi imperfecti in perfectum ita, ut mutato duntaxat medio termino universalis in singularem reliquis omnibus invariatis inferatur conclusio prius negata; sicque eam adversarius concedere cogatur. Dicitur autem reductio per expositionem: quia fit per syllogismum expositoryum.

Quæres 2<sup>do</sup>: Quæ sint regulæ re-218  
ductionis per expositionem?

Resp. Non aliæ, quam quæ in data definitione clare exprimuntur, nempe, ut medius terminus universalis mutetur in singularem, reliqua omnia invariata maneat. Hoc præterea nota, solos modos tertiæ figuræ per expositionem reduci; eo: quod syllogismus expositoryus, per quem hæc reductio fit, sit plerumque in tertia figura: cum terminus singularis aptius agat subiectum, quam prædicatum. Quid

sylogismus expositivus sit, dictum est n. 192. Dicitur autem expositivus: quia rem clarissime, & velut ad oculum exponit.

219 Pro hac reductione intelligenda vide sequens exemplum. Sit syllogismus in *dArII*: *omnis homo currit; aliquis homo est Æthiops: ergo aliquis Æthiops currit.* Hic syllogismus, si negatur consequentia, mutatur in hunc expositivum: *Petrus currit; Petrus est Æthiops: ergo aliquis Æthiops currit.*

220 Pro syllogismo expositivo nota 1<sup>mo</sup>: Hunc syllogismum: *hæc essentia Divina est Pater; hæc essentia Divina est Filius: ergo Filius est Pater;* non esse expositivum: quia medius terminus *hæc essentia Divina* non est omnino singularis; significat enim essentiam Divinam tribus personis Divinis communicabilem. Unde potest distribui saltem æquivalenter hoc modo: *omne id, quod est hæc essentia Divina.* Cum igitur in neutra præmissa sic distribuatur; vitiosus est prædictus syllogismus.

221 Nota 2<sup>do</sup>: Licet ex duabus præmissis particularibus nihil sequitur; sequitur tamen ex duabus singularibus, si etiam medius terminus sit singularis.

Dis.

Disparitas est: quia in talibus duabus præmissis affirmantur duo extrema esse eadem cum uno tertio, secus in duabus particularibus, ut ex allatis hæcenus exemplis patet. Addidi autem: si etiam medius terminus sit singularis: quia si sit particularis, tunc pariformiter ex duabus præmissis singularibus nihil sequitur: cum medius terminus in neutra præmissarum distribuatur, quod tamen in syllogismo non expositorio necessarium est. Hinc male concludit: *Petrus est aliquis homo; Paulus est aliquis homo: ergo Paulus est Petrus.*

### A R T I C U L U S XIII.

#### *De variis syllogismorum generibus.*

**N**Ota 1<sup>mo</sup>: Juxta divisionem propositionis, n. 90. factam, dividi quoque syllogismum in simplicem, & compositum, absolutum, & modalem, exceptivum, exclusivum, & reduplicativum. Item compositum subdividi in copulativum, disjunctivum, causalem, & conditionalem, sive hypotheticum; qui omnes dicuntur tales eo,  
G 5      quod

quod constant ejusmodi propositionibus una, vel pluribus.

223 Nota 2<sup>do</sup>: Hypotheticum quam frequentissime in argumentando adhiberi, illumque vel constare ex meris propositionibus conditionatis, ut *si Petrus currit, movetur; sed si velociter graditur, currit: ergo si velociter graditur, movetur*; vel ex majori conditionata, minori, & conclusione absolutis, ut *si Petrus currit, movetur, sed currit: ergo movetur*, vel: *sed non movetur: ergo non currit*, vel: *sed currit: ergo movetur*.

224 Nota 3<sup>uo</sup>: Ex regulis syllogismorum, Articulo 8vo expositis, non pertinere ad syllogismos compositos primam, tres tantum terminos syllogismo concedentem, nisi eatenus, quatenus omnem æquivocationem, mutationemque proprietatum termini vetat. Neque quintam, ut patet in hoc syllogismo, ex duabus particularibus bene concludente: *vel aliquis homo ambulat, vel aliquis equus currit; sed non aliquis homo ambulat: ergo aliquis equus currit*. De sexta, vetante duas præmissas negativas, vel dici potest, eam non extendi ad syllogismos compositos, vel tacitam affirmationem includi in præmissis.

sis. Sic de syllogismo conditionato priori numero adducto: *si Petrus non movetur, non currit; sed non movetur: ergo non currit*; dici potest conformiter ad n. 145. quod major sit affirmativa: cum non negetur particula condicionalis.

Nota 4<sup>to</sup>: Tam syllogismum simplicem, quam compositum alium iterum esse analyticum, sive demonstrativum, alium topicum, sive probabilem, alium sophisticum, sive fallacem. Analyticus est, in quo ex duabus præmissis metaphysice evidentibus sequitur conclusio metaphysice evidens. Topicus, in quo ex duabus præmissis, quarum saltem una est tantum probabilis, sequitur conclusio probabilis. Sophisticus vero improprie syllogismus dicitur: quia videtur quidem juxta regulas syllogismorum factus, reipsa autem contra aliquam ex illis peccat, ideoque fallit. Sit igitur.

## ARTICULUS XIV.

*De variis syllogismorum fallaciis.*

226 **Q**uæres 1<sup>mo</sup>: Quotuplex sit fallacia syllogismi?

Resp. Est duplex: fallacia in dictione, quæ oritur ex vocibus; & fallacia extra dictionem, quæ oritur ex rebus. Fallaciæ in dictione sunt quinque: nempe fallacia æquivocationis, amphibologiæ, accentus, figuræ, compositionis, & divisionis. Fallaciæ extra dictionem sunt septem: videlicet, fallacia accidentis, ignorationis elenchi, petitionis principii, a secundum quid, ad simpliciter, vel vicissim, consequentis; non causæ ut causæ, plurium interrogationum per modum unius. Quibus adde duas alias fallacias, quarum una sæpe committitur in argumentatione a contradictorio consequentis ad contradictorium antecedentis; altera in argumentatione ex hypothese impossibili.

227 **Q**uæres 2<sup>do</sup>: Quid sit fallacia æquivocationis?

Resp.

Resp. Est acceptio termini æquivoci pro diversis significatis, ut *canis latrat; sed stella est canis: ergo stella latrat.* Ubi *canis* in majori supponit pro bruto, in minori pro constellatione. Unde solvitur hoc sophisma distinguendo *maj. canis*, id est, brutum quoddam latrat, *C. maj. canis*, id est, constellatio quædam latrat, *N. maj.* sic *D. min. N. conseq.*

Quæres 3<sup>tio</sup>: Quid sit fallacia amphibologiæ? 228.

Resp. Est acceptio totius orationis in diverso sensu, quæ mutatio sensus fit interdum ob mutationem casus, ut in notissimo illo cujusdam Hæretici sophismate: *omnes Episcopi sunt sacerdotes; sed isti equi sunt Episcopi: ergo isti equi sunt sacerdotes.* Ubi *ly Episcopi* in majori ponitur in nominativo, sensusque est: *omnis Episcopus est sacerdos*; in minori in genitivo, & sensus est: *sed isti equi sunt res Episcopi.* Huc referri potest fallacia mutationis æquivalentiæ, ut *quidquid non perdidisti, habes; sed centum aureos non perdidisti: ergo centum aureos habes.* Ubi major æquivaleret huic: *quidquid non perdidisti, & aliquando*

*habuisti, habes.* In minori autem non servatur hæc æquivalentia.

229 Quæres 4<sup>to</sup>: Quid sit fallacia accentus?

Resp. Est acceptio vocis pro diversis significatis ratione diversi accentus, vel quantitatis poëticæ, ut *qui edunt libros, devorant illos, sed scriptores edunt libros: ergo devorant illos.* Ubi *ly edunt* in majori accipitur cum prima brevi pro *comedunt*; in minori vero cum prima longa pro *in lucem dant*.

230 Quæres 5<sup>to</sup>: Quid sit fallacia figuræ?

Resp. Eam fieri tunc, quando ob similitudinem duarum vocum illis eadem proprietas tribuitur, ut *Poëta terminatur in a, sicut musa; sed musa est generis fœminini: ergo etiam Poëta.* Huc a nonnullis refertur fallacia, quæ committitur in signis prædicamentorum, quando nimirum ob similitudinem, quam ista signa inter se habent, unum pro altero accipitur, ut *quidquid emisti, comedisti; sed carnes crudas emisti: ergo carnes crudas comedisti.* Ubi in majori *ly quidquid*, quod est signum prædicamenti substantiæ, accipitur pro *qualecunque*, quod est signum prædicamenti qua-

qualitatis: nam, ut cum minori congruat, sic efferri debet: *qualescunque carnes emisti, comedisti*, quæ est falsa.

Quæres 6<sup>to</sup>: Quid sit fallacia compositionis, & divisionis? 232

Resp. Est argumentatio a voce composita ad voces divisas, vel vicissim, ut *aliquis principatus est Respublica; sed Respublica est omnibus communis: ergo aliquis principatus est omnibus communis*. Huc spectat fallacia sensus compositi, & divisi, quæ est argumentatio a sensu composito ad divisum, vel vicissim, ut *sedentem stare est impossibile; sed Petrus sedet: ergo Petrum stare est impossibile*. Solvitur hoc sophisma distinguendo *maj. sedentem stare pro sensu composito sessionis est impossibile C. maj. pro sensu diviso sessionis N. maj. & concessa min. eodem modo distinguitur conseq.* Ejusmodi etiam est fallacia argumentationis a simultate potentiæ ad potentiam simultatis, ut *Petrus potest sedere; sed etiam potest stare: ergo potest simul sedere, & stare*. Ubi rursus major, & minor distinguuntur per sensum compositum, & divisum; consequens vero sic: ergo potest simul sedere, & stare simultate potentiæ C. *cons. po-*

tentia simultatis N. *conf.* Est autem potentia simultatis, potentia ponendi unum pro sensu composito alterius; & similtas potentia, potentia ponendi unum pro sensu diuiso alterius.

222 Quæres 7<sup>mo</sup>: Quid sit fallacia accidentis?

Resp. Eam fieri tunc, quando aliquod prædicatum attribuitur subjecto secundum se, quod illi tantum conuenit ratione accidentis, *ut album est disgregatiuum visus; sed Petrus est albus: ergo Petrus est disgregatiuus visus.* Huc aliqui referunt sophismata, quæ fiunt ex mutatione suppositionis, vel appellationis terminorum. Exemplum primi est: *homo est species; sed Petrus est homo: ergo Petrus est species.* Ubi homo in maiori accipitur in suppositione simplici, in minori in suppositione personali. Exemplum secundi est: *ista capra est mater; sed ista capra est tua: ergo ista capra est mater tua.* Ubi *ly tua* in minori appellat supra *capra*, in conclusione supra *mater*.

233 Quæres 8<sup>vo</sup>: Quid sit fallacia ignorantis elenchi?

Resp.

Resp. Est illatio duorum contradic-  
toriorum ex concessis, quæ tamen  
contradictoria sunt solum apparenter ta-  
lia, ut si quis ex concessis hoc antece-  
denti: *Petrus dormit noctu, & non dor-  
mit de die, inferat: ergo Petrus dormit,  
& non dormit*; quæ reipsa non sunt  
contradictoria propter diversitatem tem-  
porum.

Quæres 9<sup>na</sup>: Quid sit fallacia peti-  
tionis principii? 234

Resp. Eam vel committi ab oppu-  
gnante, quando probat idem per idem,  
ut *cælum est rotundum, quia est sphericum*;  
vel a defendente, quando respondet  
per id, quod est in quæstione, aut  
quod est æque controversum: ut *Lo-  
gica est practica: quia non est speculativa*,

Quæres 10<sup>mo</sup>: Quid sit fallacia a  
secundum quid, ad simpliciter, vel vi-  
cissim? 235

Resp. Eam fieri tunc, quando ex  
eo, quod alicui quidpiam conveniat  
secundum quid, inferitur, quod illi con-  
veniat simpliciter, vel vicissim, ut  
*Æthiops est albus secundum dentes: ergo  
est*

*est albus. Æthiops est niger: ergo est niger  
secundum dentes.*

236 Quæres 11<sup>mo</sup>: Quid sit fallacia consequentis?

Resp. Est argumentatio a termino consequenti ad antecedentem, sive a superiori ad inferiorem, quod fit dupliciter: 1<sup>mo</sup> ab affirmatione termini consequentis ad affirmationem antecedentis, ut *est animal: ergo est leo*. 2<sup>do</sup>: a negatione termini consequentis ad negationem consequentis, ut *non est leo: ergo non est animal*. Hinc oriuntur sequentia sophismata: *qui te dicit esse animal, verum dicit; sed qui te dicit esse leonem, dicit te esse animal: ergo qui te dicit esse leonem, verum dicit*. Item: *qui se negat esse leonem, bene negat; sed qui se negat esse animal, negat se esse leonem: ergo qui se negat esse animal, bene negat*.

237 Quæres 12<sup>mo</sup>: Quid sit fallacia causæ non causæ?

Resp. Eam committi tunc, quando aliquid asseritur esse causa, quod reipsa causa non est, ut *quod inducit ad errorem in fide, est noxium; sed Dialectica*  
muba

*multos induxit ad errorem in fide : ergo est noxia.*

Quæres 13<sup>to</sup>: Quid sit fallacia plurimum interrogationum per modum unius?

Resp. Eam fieri tunc, quando aduersarius pluribus quæsitis vult satisfieri unica responsione, & ex illa, qualiscunque detur, aliquod absurdum infert, ut si quærat: *an homo, & equus sint animal bipes?* si respondeas affirmative; infert: *ergo equus est animal bipes;* si negative, infert: *ergo homo non est animal bipes.*

Quæres 14<sup>to</sup>: Quid sit fallacia argumentationis a contradictorio consequentis ad contradictorium antecedentis?

Resp. Eam committi tunc, quando non seruantur regulæ bonæ argumentationis a contradictorio consequentis ad contradictorium antecedentis. Eiusmodi autem regulæ sunt tres. Prima est: Ut antecedens sit metaphysice, siue essentialiter connexum cum consequenti. Hinc licet vi consequentis physice bona sit hæc illatio: *existunt duæ*  
*quan-*

*quantitates: ergo non sunt penetratæ; mala tamen est hæc: duæ quantitates sunt penetratæ: ergo non existunt; imo inferri debet: ergo existunt.* 2da est. Ut oppositum consequentis non sit evidenter apud omnes impossibile: quia ex ita impossibili, utpote connexo cum duobus contradictoriis, infertur tam contradictorium antecedentis, quam ipsum antecedens. Hinc licet bona sit hæc argumentatio: *chymæra involvit duo contradictoria: ergo non existit; mala tamen est hæc: chymæra existit: ergo non involvit duo contradictoria; nam alias verum esset, quod, si chymæra existeret, non inolveret contradictoria, adeoque chymære conveniret conceptus possibilium.* 3tia est: Ut argumentatio non fiat a quocunque opposito consequentis ad quodcunque oppositum antecedentis; sed a formali contradictorio consequentis ad formale contradictorium antecedentis, ut *currit: ergo movetur. Non movetur: ergo non currit.*

240 Quæres 15<sup>to</sup>: Quid sit fallacia hypothesis impossibilis?

Resp.

Resp. Est argumentatio ex hypothesi, sive suppositione, destruente se ipsam. Tunc autem hypothesis destruit se ipsam, quando ipsa formaliter negat ex una, quod supponit ex altera parte. Unde inutilis omnino est ad quidquam probandum: cum ex illa formaliter, & per locum intrinsecum sequantur contradictoria. Fallax igitur est hæc argumentatio: *si per impossibile homo non esset animal rationale, adhuc esset homo: ergo animal rationale non est de essentia hominis.* Si enim homo non esset animal rationale, esset, & simul non esset homo: esset, ut supponitur; & simul non esset, idque formaliter: quia non esset animal rationale, quod est formaliter homo. Cæterum argumentatio ex hypothesis impossibili, non destruente se ipsam, est legitima, valetque potissimum pro regula partium, ex qua statuitur, quid sit, aut quid non sit de essentia rei, ut *si per impossibile homo non esset risibilis, adhuc esset homo: ergo risibile non est de essentia hominis.*

Quæres 16<sup>to</sup>: Quotuplex sit modulus solvendi sophismata?

Resp.

Resp. Est triplex; 1mus est: Disting-  
 guere propositionem, in qua latet fal-  
 lacia. 2dus: Negata consequentia  
 ostendere fallaciam. 3tius: Artem ar-  
 te eludere, & sophismati simile sophi-  
 sma reponere. Atque hæc pro sum-  
 mulis dicta sufficiant. Artem fabri-  
 candi pontem dialecticum, sive inve-  
 niendi medium terminum frequens per  
 Philosophiæ triennium exercitatio  
 magis, quam præceptorum copia  
 Logicos non ignavos edocebit.


F I N I S.



DEBRECENI EGYETEMI KÖNYVTÁR

Lelt.

14. 614-1955



# ARBOR PORPHYRIANA

genus Ens

per se

generalissimum

in alio

Substantia

Accidens

SUBSTANTIA

Caelum

CORPOREA

CORPOREA

Spiritus

CORPUS

planta

ANIMATVM

ANIMATVM

lapis

VIVENS

animal

SENSITIVVM

SENSITIVVM

planta

ANIMAL

homo

RATIONALE

IRRATIONALE

brutum

HOMO GALINVS OVIS  
SPECIES

sec Ovis

Joanne

Petrus

Geni





NDA, A,

positionum tionum

um.

in hominem currere impossibile. Plus canis latrat.

currere est impossibile. Petrus currit, Paulus sedet.

Subalternae

Subalternae


in hominem non currere est possibile.

non currere est possibile. Nullus homo non currit, Nullus canis non latrat.

Petrus non currit, Paulus non sedet.


# TABULA PRIMA,

Exhibens oppositionem propositionum simplicium.




# TABULA SECUNDA,

Exhibens oppositionem propositionum modalium.



# TABULA TERTIA,

Exhibens oppositionem propositionum copulatarum, & disjunctivarum.







# A R

orin omni F

7 00

Ex

1. 3.

ne  
 d  
 Curan

um brutum est rarutum ;  
 nis homo est ratio brutum :  
 o nullus homo est al non est homo.

2. 4.

ta  
 l  
 pata

nis homo est rationalis ;  
 llum brutum est non est rationale :  
 go nullum brutum al non est homo.

nd

I

1. 4.

nt  
 :  
 st

Omnis homo est ratio ;  
 Omnis homo est animus Ethiops ;  
 Ergo aliquod animal ops currit.

2. 5.

a  
 :  
 ro.

Nullus homo est irratio est homo ;  
 Omnis homo est animus vivens :  
 Ergo aliquod animal nis non est homo.

3. 5.

l

Aliquod animal est ratio amandum ;  
 Omne animal est vive delectabile :  
 Ergo aliquod vivens eabile non est amandum.

# T A B U L A   Q U A R T A,

## Exhibens Exempla omnium modorum in omni Figura.

### *Exempla modorum directorum prima Figura.*

<p>bAr bA rA.</p>	1.	⋮	<p>dA rI I.</p>	3.	⋮	<p>cE sA rE</p>	<p>Nullum brutum est rationale; Omnis homo est rationalis; Ergo nullus homo est brutum.</p>
<p>cE lA rEnt.</p>	2.	⋮	<p>fE rI O.</p>	4.	⋮	<p>cA mE strEs.</p>	<p>Omnis homo est rationalis; Nullum brutum est rationale; Ergo nullum brutum est homo.</p>
			<p>dA bI tIs.</p>	3.		<p>dA rA ptI.</p>	<p>Omnis homo est rationalis; Omnis homo est animal; Ergo aliquod animal est rationale.</p>
			<p>fA pE smO.</p>	4.		<p>fE lA ptOn.</p>	<p>Nullus homo est irrationalis; Omnis homo est animal; Ergo aliquod animal non est irrationale.</p>
			<p>frI sE sOmorum.</p>	5.		<p>dI sA mIs.</p>	<p>Aliquod animal est rationale; Omne animal est vivens; Ergo aliquod vivens est rationale.</p>

### *Exempla modorum indirectorum prima Figura.*

<p>bA rA lIpton.</p>	1.	⋮	<p>dA bI tIs.</p>	3.	⋮	<p>dA rA ptI.</p>	<p>Omnis homo est rationalis; Omnis homo est animal; Ergo aliqua substantia est homo.</p>
<p>cE lAn tEs.</p>	2.	⋮	<p>fA pE smO.</p>	4.	⋮	<p>fE lA ptOn.</p>	<p>Nullum animal est planta; Omnis homo est animal; Ergo nulla planta est homo.</p>
			<p>frI sE sOmorum.</p>	5.		<p>dI sA mIs.</p>	<p>Aliqua virtus est delectabilis; Nullum vitium est virtus; Ergo aliquod delectabile non est vitium.</p>

### *Exempla modorum secunda Figura.*

<p>bA rA.</p>	1.	⋮	<p>fE frI nO.</p>	3.	⋮	<p>bA rC cC.</p>	<p>Nullus homo est brutum; Aliquod animal est brutum; Ergo aliquod animal non est homo.</p>
<p>cE lA rEnt.</p>	2.	⋮	<p>fA pE smO.</p>	4.	⋮	<p>dA rA ptI.</p>	<p>Omnis homo est rationalis; Aliquod animal non est rationale; Ergo aliquod animal non est homo.</p>
			<p>frI sE sOmorum.</p>	5.		<p>dI sA mIs.</p>	<p>Aliquod animal est rationale; Omne animal est vivens; Ergo aliquod vivens est rationale.</p>

### *Exempla modorum tertia Figura.*

<p>bA rA lIpton.</p>	1.	⋮	<p>dA bI tIs.</p>	3.	⋮	<p>dA rA ptI.</p>	<p>Omnis homo est rationalis; Omnis homo est animal; Ergo aliquod animal est rationale.</p>
<p>cE lAn tEs.</p>	2.	⋮	<p>fA pE smO.</p>	4.	⋮	<p>fE lA ptOn.</p>	<p>Nullus homo est irrationalis; Omnis homo est animal; Ergo aliquod animal non est irrationale.</p>
			<p>frI sE sOmorum.</p>	5.		<p>dI sA mIs.</p>	<p>Aliquod animal est rationale; Omne animal est vivens; Ergo aliquod vivens est rationale.</p>









